# DISSERTATIO MEDICA
De
# FEBRE PETECHIALI,
QVAM
*SUPREMO ADSPIRANTE NUMINE,*
PRÆSIDE
*VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO,*

**DN. MICHAELE SENNERTO,**
MEDIC. DOCTORE LONGE CELEBERRIMO,
PRACTICES P. P. FAMIGERATISSIMO, ORDINIS MEDICI SENIORE VENERANDO,

*DN. PATRONO, SUSCEPTORE atq; STUDIORUM SUORUM PROMOTORE OMNI OBSERVANTIÆ CULTU SANCTE ÆTERNUMQVE SUSPICIENDO,*

PUBLICO PHILIATRORUM EXAMINI
SISTIT
AUTOR ET RESPONDENS

MICHAEL GOTTFRIED ZIEGRA/
WITTENBERGENSIS,

*AD DIEM AUG. A. C. M DC LXXXI.*


*WITTENBERGÆ,*
Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

# PRÆLOQVIUM.

QVàm *crudelis qvàmq; horrendus generis humani hoſtis ſit Febris Petechialis, verbis idoneis exprimi haud poteſt. Non jam ediſſeram, qvòd illa multas hominum myriades cùm reviviſceret qvaſi & innoteſceret rurſus Annis ſupra milleſimum, qvingenteſimô qvintô, nec non qvingenteſimô octavô è medio ſuſtulerit: Neq; illa* Fracaſtorii *verba* (cap. 6. Lib. 3. de morb. Contag. p. 229.) *dicentis:* eô tempore *ob abditam & abſtruſam hujus febris naturam, in cujus cognitionem pervenire Medicis non licuit,* maximam mortalium partem & nobilitatem urbium periiſſe, *prolixiùs huc accerſam: Illud modò in præſenti aſſeram, ſubſeqventibus temporibus tantam hunc morbum hominum edidiſſe ſtragem, ut fidem humanam fermè ſuperet. Non enim absq; horrore ab* Oct. Roboreto (de pet. febr. cap. 8. p. 121.) *relatum legimus,* Anno ſupra ſesqvimilleſimum nonageſimo ſecundo hanc febrem peticularem non ſolùm Romam, Bononiam, Tridentum, Cremonam, Parmam, Mediolanum, Brixiam, Veronam, Patavium, Venetias & totam pene Italiam ejusq; plurimas atqve præcipuas urbes, ſed multas alias etiam regiones, *imò (ſi aliorum qvoq;, præter* Oct. Roboreti, *Medicorum & Hiſtoricorum ſcripta conſulimus,) totam Europam* depopulâſſe & præcipuam nobilium partem ſuſtuliſſe. *Qvid dicam de aliis temporibus, qvæ omnia, præſertim proximè elapſa, hîc adducere, longum pariter foret atq; tædioſum. Omnibus namq; ſatis ſuperq; notum, qvantum numerum mortalium paucis abhinc annis morbi hujus rabies trucidârit, & hodie etiam, proh dolor! in finitimis locis jugulet, ut adeò qvod* Helmontius (cap. 1. Febb. Doctr. inaud. p. 739.) *de Febribus in genere dixit, id in ſpecie & qvaſi* κατ᾽ ἐξο-

 χὴν

χὴν de Febre Petechiali dici poſſe mihi videatur, nempe, nullam febrim plus ſaginare cœmiteria noſtra magisq; depopulare urbes, qvàm hæc noſtra. Et dixerim penè crudeliorem hanc febrem & horribiliorem ipſâ Peſte eſſe. Utut enim Peſtem brevi admodùm tempore ſtupendum & incredibilem ferè hominum numerum è vivis auferre ambabus largiendum ſit manibus, paulò rarior tamen hic affectus eſt, & nos in hâc urbe degentes DEUS T. O. M., ſummis ob id efferendus laudibq;, tutos & incolumes per ipſos qvadraginta & qvatuor annos præſtitit (cui qvidem beneficio ut perpetuitatem addat, hôc inprimis tempore, ubi hoc mali genus cervicibus noſtris rurſus imminet, ſupplices illum veneramur.) At verò qvis annus hactenus abiit, qvô Puncticularis Febris non graſſata fuerit? Sanè (ſi forſan hunc & proximè præcedentem annum, qvô nemo iſtô malô in urbe noſtrâ tentatus eſt, exceperis,) omni tempore contagionem hanc ſerpere, & in præſens qvoq; in aliis locis ſævire his noſtris auribus hauſimus atq; accepimus: ita ut qvod Peſtis celeritate præſtat, id Peticularis Febris freqventiâ ſuâ compenſare videatur. Imò eô ipsô Peſte doloſior exiſtit, qvod nobiles, capita & fulcra Reipublicæ magis, qvàm plebejos & fæcem Reipublicæ tollat, cùm contra Peſtis plebejos potiùs, qvàm nobiles necet, ſicut hoc ipſum à Roboreto & Fracaſtorio obſervatum eſt. Taceo eô qvoq; nomine Febrem hanc horrendam eſſe, qvod futuram peſtem, teſte EXCELL. DN. D. PRÆSIDE (theſ. 43. Diſp. Inaug. de Peſte) non rarò prædicere atq; annunciare, & in hanc tranſire ſoleat, firmô admodùm documentô, illam ex omnibus febribus malignis proximè ad Peſtis naturam accedere. De hâc itaq; in præſenti diſqvirere animus mihi eſt. Qvod dum molior opus ante omnia ſupplex veneror Archiatrum ſupremum, DEUM T. O. M., ut gratiâ ſuâ nobis clementer adeſſe velit, qvò in hujus morbi adyta penetrare & qvô pactô ille depellendus ſit, diſcere qveamus: atq; ita qvidem, ut qvicqvid & nunc ſuſcipimus & ſuſcepturi impoſterum ſumus laboris vergat ante omnia in Divini nominis gloriam, deinde verò in proximi noſtri emolumentum.

# CAPUT I.
## TRADENS DEFINITIONEM NOMINALEM.

### §. I.

VEtus eſt verbum: πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα, rectèqve monet *Galenus* (a) adverſus Theſſalum diſputans, principium in omni diſputatione & re eſſe nomen: itaqve & nobis, ne receptas hactenus Dogmaticorum leges tranſiliiſſe videamur, ὀνοματολογία præmittenda erit.

(a) *lib. 1. Meth. med. cap. 5.*

§. 2. Siſtit primò Rubrica Diſputationis noſtræ vocabulum *Febris*, qvod etſi nonnulli à *feritate morbi*, alii à *ferbeo*, alii à *februo*, qvod luſtro, purgo ſignificat, hoc enim adolendo & flammis ferventibus fieri ſolebat, alii deniqve à nomine *Februo*, Inferorum ignisq; infernalis Deo, qvi Græcis Πλούτων, Latinis Dis dicitur, originem trahere exiſtiment, rectiùs tamen plurimi Etymologicorum ſtatuunt nomen hoc potiùs à *ferveo*, qvod eſt igne ſuppoſito caleo, bullio, appellationem ſuam ſortiri; qvam derivationem, ceu naturæ febris maximè congruam & nos hoc loco retinebimus.

§. 3. Alterum nomen, cognomenti qvaſi vicem ſuſtinens, eſt *Petechialis*. Hæc febris cur ſic appelletur, definire non erit difficile, ob potius enim, qvod morbum hunc comitari ſolet, ſymptoma, Petechias ſcil. ſive maculas, ita dici conſtat. Vox Petechiæ autem unde derivetur non adeò evidens eſt. Nonnulli à Græco verbo πετάω, *pando*, *explico*, *extendo*, qvod illæ maculæ per univerſum corpus qvaſi extenſæ atqve expanſæ appareant vel conſpiciantur, deducunt; alii ex *Hebraicâ*, alii ex *Hungaricâ lingvâ*, alii *aliunde* hujus vocis natales arceſſere conantur.

§. 4. Nos à parte illorum haud ſtamus, ſed, cum vox petechiæ in Græcorum & Arabum ſcriptis non occurrat, certum contra ſit, ab Italis una cum morbo etiam nomen ejusdem ad nos tranſiiſſe, in horum potiùs, qvibus præ aliis innotuit morbus, lingvâ vocis petechiæ qværimus originem. Hinc vocabulum petechiæ, Italis *le petecchie*, non incommode ab Italorum *il pedochio*,

qvod pediculum Latinis ſignificat, deduci poſſe opinamur. Ad modum enim qvô Latini morbum hunc, procul omni dubio à pediculis, peticularem, d. ſcil. in t. mutando, appellant, ad eundem qvoq; Itali nomen le petechie ab il pedochio pro d. t. aſſumendo derivare videntur.

§. 5. Sed aliena prorſus atqve incongrua hæc alicui videri poſſet derivatio, eò qvod maculæ iſtæ non pediculorum, ſed pulicum repræſentent morſum, nec vox pediculi & pedochio à Latinis Italisq; pro pulicibus accipiatur. At verò utut vocabulum pediculi & pedochio ad exprimendos pulices à Latinis Italisq; non uſurpari largiendum ſit, tamen, ſi etymologiam illius ſpectes, generaliter pro omni eô, qvod multis præditum eſt pedibus, accipi poſſe probabile qvodammodo eſt. Si qvidem in hac ſignificatione ab iis, qvi huic febri petechialis & peticularis impoſuere nomen, uſurpatum fuiſſe, admodum videtur plauſibile.

§. 6. Hanc verò nominis noſtri etymologiam etſi præ aliis omnibus probemus, exinde tamen non rejiciendus repudiandusqve prorſus penitusqve erit, qvi febrem noſtram petechialem cum *Brunnero* (b) *peſtichialem*, aut petechias ſ. peticulos cum *Tabernæmontano* (c) *peſtichias* vel cum *Cratone* (d) peſticulos nuncupare atqve adeo vocabulum petechialis à *Peſtis* nomine deducere voluerit. Vocabula enim ſive ab hoc, ſive ab illo ſuam ſortiri originem ſciamus, res tanti momenti non eſt, parumqve ad morbi curationem facit.

(b) *Conſil. XLIII. p. 238*
(c) *lib. 1.* von Kräutern *cap. 35. p. 393*
(d) *Aſſert. lib. de peſtil. febr. putrid. p. 40.*

§. 7. Pluris refert, ut nomen petechiæ ab HOMONYMIA, errorum genetrice, liberemus. Hinc præmonemus, nos hoc loco vocem petechiæ *non latè & impropriè* accipere, pro qvibusvis maculis, qvæ in aliis febribus non malignis aut morbis tam benignis, qvam mali moris, aut etiam ſano corpore qvandoqve prodire ſolent; veluti petechiarum vocabulô hunc in modum abutitur *Untzerus* (e) inqviens, ſe in duobus Juvenibus, tertiana ſimplici laborantibus, nec non in ſanis corporibus plethora affectis & ab exercitio concitatiori æſtuantibus petechias obſervaſſe; imo & maculas à Sphacelo & Scorbuto oriundas pro Petechiis habet; Toto enim, qvod vulgo ajunt, cælo hæ maculæ à noſtris petechiis differunt: *ſed ſtrictè & propriè*, pro illis maculis tantum,

(e) *de Lue Peſtif. l. 1. c. 11. p. 65.*

tum, qvæ in febre petechiali ſine pruritu, exulceratione atqve cutis intumeſcentiâ ex ſubtiliore & tenuiore ſangvinis peculiariter corrupti parte oriri ſolent.

§. 8. Sic neqve vocabulum febris petechialis *generaliter & impropriè* ſumimus, pro morbo ſcil. Hungarico, ſicut hoc ipſum ab illis, qvi morbum Hungaricum & febrem petechialem pro eôdem planè morbo agnoſcunt, fit. Numerari inter illos præter *Jordanum*, (*f*) qvi febrem petechialem ipſum eſſe morbum Caſtrenſem, aliis tantummodo comitatum ſymptomatibus, ſtatuit, etiam poteſt *Brunnerus* (*g*), febris lenticularis, peſtichialis & peticularis nomine ipſiſſimam Luem Hungaricam depingens. Diverſum enim illum affectum, qvem ibidem deſcribit, à febre petechiali & potius militarem morbum appellandum eſſe, Cephalalgia inſignis, Cardialgia, nec non abſentia macularum utplurimum, aliaq; febris Caſtrenſis ſymptomata evincunt.

(f) *cap. 19. de peſtis phænom. tract. 1.*

(g) *Conſil. XLIII. p. 38.*

§. 9. Multo minus febris petechialis illam malignarum febrium ſpeciem, puerperis admodum familiarem, nobis denotat, in qva puſtulæ ſub granorum miliarium formâ prodire ſolent, & communiter febris miliaris vel purpura, à Germanis vero das Frieſel/ nuncupatur. Hoc enim in ſenſu à plurimis, qvi nullam inter febrem petechialem & miliarem conſtituunt differentiam, uſurpari novimus. Nec deniq; alium qvemcunq; morbum aut febrem ſignificamus: ſed *ſtricte & propriè* morbi petechialis accepto vocabulo illam febris malignæ ſpeciem indigitamus, in qva maculæ absqve inæqvalitate cutis & ſuppuratione ſemper prorumpere ſolent.

§. 10. Dicuntur alio nomine petechiæ, à *Steeghio* (*h*) *pechii*, contrahendo, ut videtur, vocem petechiæ, ab aliis vero *exanthemata ſicca Galeni* (qvamvis malè, morbillis enim potiùs hoc nomē competit) it. *peticuli*, *ſtigmata*, *puncticulæ*, *lenticulæ*, à ſimilitudine ſcil. qvam cum puncturis pulicum & lentibus habent, unde & *febris peticularis*, *ſtigmatica*, *puncticularis & lenticularis*, vel juxta *Fracaſtorium* (*i*) & *Langium* (*k*) per Metonymiam ſigni pro ſignato *puncticula* & *lenticula* audit. *Peſticulos* etiam & *maculas*

*peſti-*

(h) *Med. Pract. l. 2. c. 7. p. 224.*

(i) *de morb. cont. lib. 2. c. 6. p. 159.*

(k) *Lib. 2. Epiſt. 15. p. 619.*

*peſtiferas* à *Cratone* (l) *peſtichias* à *Tabernamontano* (m) & inde febrem à *Brunnero* (n) *peſtichialem* appellari, ex ſuperioribus notum.

§. 11. Proſtant & plurima alia, qvibus petechiæ & morbus noſter inſigniti ſunt, nomina. *Maculæ* enim *pulicares* & *febris* hinc *pulicaris* ab *Amato Luſit*: (o) *maculoſa* à *Cratone* (p) & *Hæchſtettero* (q) *purpurea* à *Sylvio* (r) (ut refert *Neucrantzius* (s)) & *Primeroſiô* (t) *purpurata* à *Riverio* (u) & *Burſero* (x) *rubra* à *Roboreto* (y) & *pemphingodes* deniq; rurſus à *Roboreto* (z) nuncupatur. Germani peticulos Rechflecken/ Rehflecken/ & ſimpliciter Gifft-Flecke/ vergiffteflecke; febrem vero das Fleckfieber/ das bunthe Fieber &c. vocitant. Reliqva ſynonyma conſultò ſilentio involvemus, ne tædioſa illorum enumeratione lectori pariamus moleſtiam.

## CAPUT II.

## PROPONENS DEFINITIONEM REALEM.

§. I.

SEd ſatis jam circa corticem verſati hactenus fuimus, age tangamus & rem ipſam, qvam hâc deſcriptione contemplandam ſiſtimus: *Febris Petechialis eſt febris continua maligna, in qvâ petechiæ cum gravibus ſymptomatibus ſemper apparent, à præternaturali Maſſæ Sangvineæ fermentatione & peculiari ejusdem corruptione dependens.*

§. 2. FEBRIS eſt hic affectus. Deprehenditur enim in eo ipſa eſſentia ſ. formalis ratio febris, calor ſcil. præternaturalis in corde accenſus & mediante circulatione ſangvinis per arterias in totum corpus diffuſus, qvem inappetentia, nauſea, ſitis, inſignis præcordiorum æſtus, cordis anxietas, pulſus vitiatus, virium imbecillitas & langvor, vigiliæ, aliaqve certiſſima febris præſentis indicia, inferiùs tradita, ſtricto pede ſeqvuntur.

§. 3. CONTINUA ſimul hæc eſt febris, qvia per tempus aliqvod, qvæ intermittentium eſt natura, perfectè & totaliter non inter-

(l) *loc. cit.*
(m) *loc. cit.*
(n) *loc. cit.*
(o) *Cent. 3. Cur. 23. p. 271. & Cent. 4. Cur. 62. p. 430.*
(p) *Aſſert. lib. de peſtil. febr. putr. p. 59.*
(q) *Obſerv. Decad. 1. Caſ. 4. p. 13.*
(r) *Comm. in 1. Galen. de diff. febr.*
(s) *de Purpura p. 11.*
(t) *lib. 4. de Febr. c. 11. p. 410.*
(u) *Meth. cur. febr. ſect. 3. cap. 1. p. 94.*
(x) *Concert. Epiſt. c. Strobelberg.*
(y) *de pet. febr. c. 2. p. 6. & 38.*
(z) *de pet. febr. c. 2. p. 5. & 6.*

intermittit, ſed potius nullis naturæ induciis atqve feriis, qvò vires inſtaurare & recolligere, crudelisſimiqve hoſtis impetum acerrimum frangere posſit, datis, eam continue & indeſinenter inſectatur, divexat, torqvet. Qvoniam tamen qvosdam ægros modò leviùs, modò graviùs affligit, adeoqve qvasdam exacerbationes & qvaſi (proprie enim loqvendo unus tantum & continuus eſt) paroxyſmos habet, reſpectu harum *Tertianæ continuæ* ab *Amato Luſit.* (a) aliisq; comparatur & dicitur.

(a) *Cent. 6. Cur. 23. p. 575. & Cent. 4. Cur. 62. p. 430.*

§. 4. Exacerbatio iſta more Tertianæ Continuæ tertiô qvovis die ſolet contingere, nam tunc ſenſibiliter & cum qverelâ ægrotantis morbus augetur, per reliqvum verò tempus ſemper qvidẽ, ſed non tam graviter Æger morbô urgetur. Qvo tempore autem, vel qvâ diei parte hæc morbi exaſperatio accidat, incertum; variat enim hora. *Brunnerus* (b) eqvidem ut & *Amatus Luſ.* (c) ſe obſervaſſe teſtantur, veſperi & ſub tempus ſomni plerumq; exacerbationem hanc contingere; imò idem *Brunnerus* (d) intermedias etiam exacerbationes pro diverſitate ægrotantium ſe annotaſſe refert, nonnullis enim circa 8. matutinam, nonnullis circa 12. nonnullis circa 1. aut 3. veſpertinam leviuſcule febrem exacerbatam fuiſſe, id qvod tamen ſuo relinqvimus loco.

(b) *Conſil. XLII p. 232.*
(c) *loc. cit.*
(d) *Conſil. XLII. p. 233.*

§. 5. Aſt qvia non calore tantum, ut reliqvæ febres continuæ, benignæ & ſalutares hoc ſenſu atqve reſpectu dicendæ, ſed & malignâ venenatâq; qvalitate Cor infeſtat atqve fatigat, adeoqve à conſvetudine illarum aliena, pejora, qvam febrium fert natura, habet ſymptomata, & curationem reddit difficiliorem, meritò hic morbus non per febrem continuam ſolum, ſed & per FEBREM MALIGNAM definitur.

§. 6. In hoc verò à reliqvis febrium malignarum ſpeciebus affectum noſtrum cumprimis diſtingvimus, qvod in illis petechiæ regulariter nunqvam appareant. Etſi enim in Morbô Hungaricô qvandoqve maculæ iſtæ conſpiciantur, tamen id ipſum neqve ſemper, cum & ſine maculis ſæpisſimè graſſetur hic morbus, neq; ordinarie & per ſe accidit, ſed per accidens, qvatenus nimirum petechialis febris Hungaricæ, vel hæc ſe illi jungit, ſicut & noſter morbus qvandoqve morbillis & febri miliari, item Dyſenteriæ ſe aſſociat. Qvare in majore diſcrimine tunc verſantur Ægroti, qvia à duobus ſimul hoſtibus natura labefactatur.



§. 7. Sed

§. 7. Sed qvid ſunt Petechiæ? *Petechiæ ſunt maculæ variæ magnitudinis variorumq́ colorum ſine pruritu, protuberantia atq́ exulceratione in cuticula & cute, præcipuè verò circa dorſum, pectus, collum, brachia pedesqve, cum febre continuâ malignâ apparentes, è ſubtiliore ſangvinis peculiariter corrupti & effervescentis parte genitæ, & ad cutem à Facultate Expultrice detruſæ.*

§. 8. Per MACULAS Petechiæ à nobis definiuntur. Color enim Cutis, qvem natura albicantem ſibi potisſimum pinxerat atqve elegerat, in rubrum, purpureum, puniceum, viridem, lividum, violaceum, nigrum &c. præternaturaliter mutatur, non qvidem univerſaliter in totâ cute & univerſô corpore, ut in Ictero nigro flavoqve, cachexia, &c. tunc enim per colorem totius corporis præternaturalem definiendæ eſſent petechiæ: ſed particulariter & ſparſim magis, modò in hâc, modò in illâ exiguâ cutis parte, velut in morbillis, ſcorbuto, &c. Itaqve Petechiæ ad ſymptomata qvalitatum (in ſpecie verò viſibilium) mutatarum erunt referendæ.

§. 9. DIFFERENTIA à *qvantitate*, *qvalitate*, *adjunctis*, *materia*, *ſubjecto* & *cauſis* deſumitur. *Magnitudo* illarum, ut de *qvantitate continuâ* primò dicamus, variat. Ut plurimum eqvidem *pulicum morſûs* vel *lentis* magnitudinem referunt, ſæpe tamen, teſte *Wittichio* (e) *nummum*, aliqvando *groſſum*, qvandoqve *tetradrachmum* ex obſervatione *Tabernæmontani* (f) interdum *Joachimicum* magnitudine adæqvant. Imò *majorem* maculam ſub papilla vidit *Platerus* (g), & *S. Pauli* (h) ſe aliqvando talem maculam *palmam longam & tranſverſam latam* in humero ſtudioſi cujusdam obſervâſſe, teſtatur.

§. 10. Nonnunqvam & *vibices flagellis inductas referunt*, ut vult *Laz. Riverius* (i) Qvid? qvod etiam iſtæ maculæ (ſi *eidem* (k) unà cum *Brunnero* (l) fides habenda, nec ruber ille fugax ac momentaneus artuum color, cujus *S. Pauli* (m) mentionem facit, per illas intelligendus, qvod tamen de *Riverii* (n) verbis veriùs affirmare poſſem) tam amplæ nonnunqvam ſint magnitudinis

ut

(e) Im Bericht von den hieſigē Fleckfieber *p. 42. & 43.*

(f) *Lib. 1.* von Kräutern *ſect. 4. cap. 35. p. 393.*

(g) *lib. 2. Prax. cap. 2. p. 19.*

(h) *De febb. Malign. p. 19. §. 13.* (i) *Meth. cur. febr. ſect. 3. c. 1. p. 95.* (k) *loc. cit.* (l) *Conſil. XLIII. de febr. Lent. p. 240.* (m) *Digr. de Febr. Malign. p. 62. & 63. ſeqq.* (n) *loc. cit.*

*ut integram corporis partem, brachium nimirum, pedem, vel dorſum occupent.* Patet ſimul ex jam dictis, (ut in tranſcurſu qvaſi hæc adjiciamus) petechias non rotundam ſemper præ ſe ferre formam, ſed interdum qvoqve *anguloſas*, qvandoqve & *oblongas* &c. eſſe.

§. 11. *Qvantitatem diſcretam* ſive *numerum* harum macularum ſi deſideras, certum, qvia & hic, ut in definitione expreſſum, variat, tibi determinare haud licet. Aliqvando enim *una tantum* eaque prægrandis, ut ex ſuperioribus exemplis (o) liqvet, vel *paucæ* admodum cutim commaculant, tunc ſcil. cum aut non adeo larga adeſt corruptio, aut natura vi morbi inſigniter debilitata materiam corruptam expellere atqve exturbare non valet. Qvandoqve in *magnâ & innumerabili ferè copiâ* protruduntur, idqve partim naturæ beneficiô, qvæ ſatis adhuc robuſta ſangvinem tenuiorem corruptum copiosè expellit, partim morbi vitiô, qvi maximam ſubtilioris ſangvinis partem peſſundat atqve corrumpit.

(o) §. 9. *hujs Cap.*

§. 12. Nec *coloris* ratione, ut ad *qvalitatem* perveniamus, ejusdem ſemper ſunt generis. Communisſimè qvidem *rubri* nec non *purpurei* (imo & *ſpadicei* vel *fuſci*, ceu in praxi à multis annotatum,) maculas eſſe cognoſces; non raro tamen eum *lividum, violaceum, puniceum, nigrum* &c. animadvertes. Hujus varietas unde dependeat meritò hic disqvirendum venit. Plurimi illam ex diverſitate humorũ oriri autumant, ita ut rubræ maculæ à ſangvine, virides à bile, nigræ à melancholiâ originem trahant. At rectiùs diverſum corruptionis, Maſſam ſangvineam deſtruentis, gradum hanc colorum cauſare disſimilitudinem ſtatui poſſe mihi videtur, ut ſcil. à primô gradu ſit rubeus color, cum ſangvis non adeo eſt corruptus, ſed ſtatui naturali ſimilis admodum; à ſecundo prodeant lividæ & violaceæ maculæ, ſi deterior hæc ſit corruptio, magisq; à ſtatu naturali ſangvis recedit; à tertio deniqve nigræ, qvando ſumma & extrema adeſt corruptio, ita ut ſangvis non ampliùs vividus, ſed mortuus ſit.

§. 13. Sunt præterea hæ maculæ, ut ad *adjuncta* accedamus, *ſine omni protuberantia, exulceratione atq; pruritu.* Qvamvis enim *Hæchſtetterus* (p) ſe pruritum in dorſo anteqvam prodirent percepiſſe

(p) *Obſerv. Decad.* 1. *Caſ.* 5. *p.* 21.

piſſe, imò exulceratas eas fuiſſe & ad ſcabiei ſpeciem acceſſiſſe ſcribat, videtur tamen noſtram febrem cum miliari confundere. Hinc facilè eas à Variolis, Morbillis, tuberculis in febre miliari efflorescentibus, aliisqve ejusdem farinæ exanthematibus diſcernere poteris, qvippe qvæ partim cutim aſperam & inæqvalem reddunt, partim etiam exulceratione & pruritu moleſta ſunt.

§. 14. A ſcorbuticis verò maculis, pulicum morſibus interdum, teſte *Magno Sennertô* (q) perſimilibus, nec non illis, petechiis ſimillimis, qvibus ab eſu Cicutariæ duarum mulierculaxum conſpergi corpora vidit *S. Pauli* (r), febre diſtingvuntur. In variis etiam morbis, ut Menſium ſuppreſſione, Incubo, Phthiſi, &c. qvandoqve efflorescunt maculæ, at iſtæ unà cum Ecchymomatibꝰ *Fernelii* (s), maculis hepaticis, &c. à noſtris præter febrem etiam malignitate differunt. Qvæ autem in febribus qvandoqve, ut ſynochâ, tertianâ, qvartanâ, prodeunt, à noſtratibus febris ſpecie & malignitate plerumqve diſcrepant. Qva ratione deniqve à pulicum morſibus ſint dignoſcendæ, *Incomparabilis* docet *Sennertus* (t) qvem adeas velim, ut &, ſi libet, *Zacutum Luſit.* (u) qvi à farinâ lupinorum cum oxycrato ſubactâ & applicatâ diſparere ait maculas à pulicum morſibus ortas, minus vero petechias.

§. 15. *Materia ex qva* harum macularum *ſubtilior atqve volatilior ſangvinis peculiariter corrupti pars eſt.* Sangvinis dico pars eſt. Etenim ex nullô aliô humore, qvemcunqve tandem in corpore noſtrô fingamus atqve ſtatuamus, maculæ hæ generari poſſunt, id qvod non ſolũ color rubeus & purpureus, qvalis in nullô aliô humore præter qvam ſangvine datur, confirmat, ſed & ſimilitudo, qvam noſtræ maculæ cum pulicũ puncturis habent evincit. Hæ enim, *B. Sennerto* (x) teſte, fiunt non niſi ex ſangvine à pulicum morſiunculis ad corporis ſuperficiem tractô.

§. 16. Verum non qvælibet ſangvinis pars indiſcriminatim harum macularum materia conſtitutionis eſt, ſed ſubtilior tantum, tenuior atq; volatilior, ſicut hoc ipſum ex natura & conditione harum macularum colligere licet. Citò enim fiunt, citò evaneſcunt, citò redeunt, qvod fieri haud poſſet, ſi ex craſſiore aut fixiore conſtarent materia. Nam tunc vel immotæ perſtarent,

(q) *Lib. 3. Prax. part. 5. ſect. 2. cap. 4. p. 575.*
(r) *Digr. de Febb. Malign. §. 81. p. 100. & §. 86. p. 107.*
(s) *Lib. 7. de Extern. Corp. Aff. cap. 6. p. 658.*
(t) *Lib. 4. de Febb. cap. 13. p. 536.*
(u) *Obſ. 13.*
(x) *Lib. 4. de Febb. cap. 13 p. 537.*

ut

ut v.g. maculæ à ſangvine extravaſato ſolent: vel ſuppurarentur, ut variolæ.

## CAPUT III.
## SISTENS SUBJECTUM.

§. 1.

PErſpectâ itaq; febris macularumq; noſtrarum naturâ ulterius in examinandis noſtris definitionibus progrediendum, &, qvodnam illarum ſubjectum ſit, diſpiciendum. In febre duplex occurrit, primarium ſcil. & ſecundarium. SUBJECTUM PRIMARIUM ſ. partem illam, qvæ malignâ qvalitate & calore præternaturali primò & principaliter afficitur laboratqve, ſtatuimus atqve aſſerimus ESSE COR.

§. 2. Idqve haud fruſtra. Multæ enim eæqve graviſſimæ, qvæ pro Corde militant, urgeri poſſunt rationes. Certum atqve firmiſſimum eſt principium, eam partem præ reliqvis faciliùs accendi magisq; calidam contrahere intemperiem, ubi copioſiùs præ aliis eſt calor; facilior enim tunc atomorum ignearum calidarumqve combinatio atqve unitio eſt, unde flamma præternaturalis oritur. Ubi vero major caloris copia, qvam in Corde? Sedes ſanè hoc, fons atqve origo caloris eſt, & qvi in reliqvas partes influit easqve vivificat, unicè cordis benignitati debetur.

§. 3. Confirmat & hanc ſententiam læſa Cordis actio, qvæ Pulſus eſt, à Facultate Pulſifica ſoli Cordi inſitâ ſangvinemq; per arterias in univerſum Corpus diſtribuente dependens. Hic enim primò & potisſimùm magisqve qvàm ullius alicujus partis actiones in febre petechiali læditur. Et qvamvis is, rariùs licet, parum immutatus, imo naturali ſimillimus videatur, eſt tamen tantum ad ſenſum talis, & re ipsâ multum à naturali recedit peſſimusqve eſt, veluti id prudens & in Oeconomia Microcoſmi expertus Medicus facilè animadvertit.

§. 4. Suffragantur deniq; nobis & huic noſtræ ſententiæ aſſentiuntur Viri in arte medica ſummi, *Galenus* (a) nempe, *Sennertus* (b) atq; *Rolfincius* (c), qvippe qvi unô aſſerunt ore, præci-

(a) *lib. 1. de diff. febr. c. 3 p. 63.*



(b) *lib. 1. de Febr. c. 1. p. 7.* (c) *Ord. & Meth. Cur. Febr. gen. cap. 24.*

puum omnis febris ( adeoqve & malignarum noſtræqve) ſubjectum eſſe Cor, febremqve (licet reliqvæ partes calorem habeant præternaturalem ) generari non poſſe, niſi Cor ſimul incaleſcat, & qvamprimum hoc calidam contrahat intemperiem, febrem oriri ſuamq; nanciſci denominationem.

§. 5. SECUNDARIUM Febris petechialis SUBJECTUM SUNT PARTES RELIQVÆ TOTIUS CORPORIS. Hæ enim non ſolùm à calore præternaturali, in Corde accensô & mediante ſangvine ad eas delatô, qvoq; affliguntur & temperies ipſarum in igneam ſ. calidam intemperiem mutatur, id qvod vel ipſis manibus tactuqve explorare licet; verum etiam à ſangvine peculiariter corrupto miſerè anguntur, dum hic ipſis venenatam ſuam qvalitatem communicat atqve imprimit, adeo, ut manus pedesqve, ob peſſimam illarum à præternaturali ſangvine oriundam conſtitutionem, nonnunqvam liveant, & propterea occultâ Gangrænâ easdem laborare *S. Pauli* (d) ſtatuat.

(d) *Digr. de Febr. Malign. p. 66.*

§. 6. PETECHIARUM verò SUBJECTUM SUNT CUTICULA ET CUTIS. Illam eſſe probatione haud eget; cum enim hoc omnium ferme incurrat in oculos, nemo, credo inficias ibit. Hæc verò qvod ſit perſvadet nobis Anatomia, qvâ cognitum habemus, vaſa ſangvinifera in & intra cutem terminari, adeoqve aſſerendum, naturam in eam etiam ſangvinem corruptum evomere, atqve maculas ibidem pingere. Nec obſtat, qvod qvidam, negantes cutem qvoq; petechiarum eſſe ſubjectum, hic objiciunt: ab applicatis Veſicatoriis unà cum cuticulâ etiam tolli petechias, nec in cute conſpici, non enim exinde ſeqvitur: Ergo nec petechiæ antea ibi latitarunt; qvod verò poſt adhibita Veſicatoria illic non appareant, cauſa eſt applicatum Veſicatorium, materiam macularum ex interioribus partibus extrahens atq; intra cutem & cuticulam effundens.

§. 7. SUBJECTUM CAUSÆ ſ. peculiaris cum fermentatione conjunctæ corruptionis EST SANGVIS. De fermentatione ( qvod ſcil. fiat in ſangvine, & liqvor fermenteſcens nullus alius, qvam ſangvis, ſit, ) res clara eſt. Teſtatur enim hoc ipſum inter alia, ( qvæ ſilentio involvemus ) febris noſtræ typus, qvi ſynochæ putridæ, ubi vitium & cauſa febris in ſangvine hæ-

ret,

ret, eſt, unde qvoqve non immeritò à *Roboreto* (e) *Steegbio* (f) aliisqve pro Synocha putrida habetur. Corruptionem autem in ſangvinem agere ſ. ſangvinem corruptionis qvoqve eſſe ſubjectum inhæſionis, docent maculæ (qvas ex ſangvine corupto conſtare ſuperius (g) probatum dedimus) it. ſymptomata, ipſe ſangvis Venæ ſectione eductus, Urina, aliaqve, qvæ theſeos noſtræ roborandæ gratia prolixiùs non adducemus, paucos enim habemus hac in re nobis contradicentes. Recentiores qvoqve, licet, ut mox dicetur, in modo corruptionis longè aliter, ac nos, ſentiant; in hoc tamen, utpote re manifeſtâ, à parte noſtra ſtant.

(e) *de pet. febr. p. 7. & c. 5. p. 38.*
(f) *Med. pract. l. 2. c. 7 p. 224.*
(g) *Cap. 2. §. 15. & 16.*

## *CAPUT IV.*
## CAUSAS IMMEDIATAS ET MEDIATAS PROXIMIORES SUPPEDITANS.

§. 1.

RESTAT nunc in dilucidandis noſtris definitionibus nil ulterius, qvàm ut CAUSAM EFFICIENTEM Febris Petechiarumq; declaremus. Statuimus ibidem illam (ſi febrem ſpectes) ESSE SANGVINIS PECULIAREM CUM FERMENTATIONE PRÆTERNATURALI CONJUNCTAM CORRUPTIONEM.

§. 2. Duo itaqve in noſtrâ febre ſunt imprimis notanda atqve ſpectanda, ſangvinis ſcil. fermentatio præternaturalis & peculiaris ejusdem corruptio. *Fermentationem* ut cauſam proximam hic accuſandam eſſe, nemo facilè, niſi hoſpes planè in febrium doctrinâ, credo inficias ibit. Nam ut taceam in omni febrium genere fermentationem qvandam præternaturalem manifeſtò deprehendi, febremqvè generari non poſſe, niſi cauſa ejus proxima, fermentatio, adſit; certum nihilominus eſt, ſangvinem hic (inſtar ollæ ſuper ignem ebullientis) ultra modum effervescere & turgeſcentiâ ſpumoſâ rarefactum vaſa diſtendere, pulſum mutare, &, velut liqvor ſulphureus incendio concepto, calorem adurentem qvaqva verſus diffundere.

§. 3. Eſt autem *præternaturalis* hæc fermentatio. Etenim

ſangvis

ſangvis præter lenem illam, naturalem & æqvabilem fermentationem, qvâ primò, peractâ in ventriculo concoctione, ex chylo in ſuam ſubſtantiam convertitur, & poſtmodum in variis corporis partibus ab excrementis & fecibus depuratur, novam prorſus, inconſvetam & contrariam illi fermentationem cum maximô ſuô detrimentô & exitiali corruptione à fermento præternaturali ſ. peregrino ſubire cogitur.

§. 4. Modus hic eſt: Cum portiones qvædam Cruoris miaſmate venenatô inficiuntur, illico per totam ejusdem maſſam fermentum hoc diſpergitur, hinc particulæ, ex qvibus conflata eſt Maſſa Sangvinea, maxime autem ſpiritus, ob extranei hujus admiſtionem è motu ſuo regulari ceſſant, in confuſionem aguntur, impetuoſiùs moventur, & pugnam tum cum hoſte, tum etiam inter ſe invicem ineunt, è qvarum (ſulphurearum potisſimum intellige) motu celerrimô, mutuô attritu & conflictu calor poſtea oritur.

§. 5. Aſt fermentatio hæc ſola ad febrem noſtram producendam non ſufficit, fieri enim non poteſt, ut à nudâ præternaturali ſangvinis fermentatione tam gravia, ut ſunt magna virium imbecillitas, delirium, motus convulſivi, maculæ nigræ & lividæ &c. oriantur ſymptomata; & ſi illud verum, fermentationem ſolam ejusmodi cauſare ſymptomata, ſeqveretur, in omni febre talia apparere ſymptomata, id qvod, experientia teſte, falſiſſimum; Ideo aliud qviddam, à qvô malignitas & dira illa ſymptomata proveniant, hic ſubeſſe neceſſum eſt, qvod nihil aliud, ut in definitione expreſſum, eſſe putamus, qvam peculiarem ſangvinis corruptionem.

§. 6. *Peculiarem* eam dicimus atqve appellamus corruptionem, qvia variæ corruptionum dantur ſpecies, eæqve ſingulæ à ſe invicem diſcrepantes. Nam alia corruptio datur in Lue venerea, alia in ſcorbuto, alia in variolis, alia in morbillis, febre miliari, morbo hungarico, peſte, veneno hauſto &c. & nulla harum ea eſt, qvæ noſtra, uti hoc ipſum morbi typus diverſus, curatio diverſa, maxime autem ſymptomata diverſa arguunt, ubi enim alius effectus ſ. ſymptomata, ibi & alia cauſa ſ. corruptio.

§. 7. Magnam tamen noſtræ corruptioni cum illa, qvæ ab aſſum-

aſſumptô venenô oritur, intercedere affinitatem, adeoq; noſtram hujus non abſimilem eſſe, aſſerere nulli dubitamus. Illud enim nō ſolum maculæ, qvæ ſæpius à venenô hauſtô & in noſtrô morbô prodeunt, teſtantur, verùm alia etiam ſymptomata, (qvalia ſunt magna eaqve ſubitanea virium imbecillitas, delirium, motus convulſivi &c.) celer admodum morbi decurſus, curatio per Alexipharmaca, aliaq; evincunt.

§. 8. Qvalis autem illa *corruptio* in Febre Petechiali ſit, qvæ eſſentia ſ. formalis ratio ejus, aut qvis modus ejusdem, in hâc, qvâ & ego & univerſum genus humanum laboramus, mentis caligine explicare haud licet, unde potiùs ad ignotas nobis & occultas qvalitates confugiendum, & τὸ θεῖον Hippocratis hic ſubeſſe agnoſcendum.

§. 9. Nonnulli eqvidem Recentiorum, ut ſibi præ aliis, maximè præ veteribus ſapere videntur, ita hic qvoq;, ſe mentis acie in abditam & abſtruſam malignitatis venenorumqve naturam penetraſſe, ſibi imaginantur, & hujus corruptionis modum nec non eſſentiam ejusdem explicare, cauſamqve febris noſtræ manifeſtam reddere conantur.

§. 10. S. PAULI enim, *Medicus Danus*, ſtatuit, cum ignis animalis ob præternaturalem (à Sale volatili ſ. miaſmatibus concitatam (a)) fermentationem, cauſa hujꝰ febris qvæ eſt (b), in Corde ita exardeſcit, ut comparari ad qvartum (aperti) ignis gradum qveat, certò febres petechiales expectandas eſſe (c). Calorem (d) enim tunc figere Salem volatilem in Maſsâ ſangvineâ (e) & ſangvinem ſerumqve ita adurere, ut lenteſcat, & commodè circulari neqveat.

§. 11. FRANCISCUS DE LEBOE SYLVIUS, *Medicus Batavus*, ut omnium febrium malignarum, ſic & noſtræ qvoqve judicat (g) Cauſam, ſi non ſemper, utplurimum ſaltem Salem eſſe tum volatilem, tum acrem, qvi glandularum liqvorem ſubacidum concentratione noxiâ enervat, atqve inertem invalidumqve præſtat, unde ſangvinis conſiſtentia naturalis minuatur, ac proinde ejusdem rarefactio eludatur, qvin non rarò animalium ſpirituum ſecretio impediatur.

(a) *p. 10. §. 9. & p. 43. §. 29.*
(b) *p. 10. p. §. 9.*
(c) *p. 20. p. §. 13. & p. 11. f. §. 10.*
(d) *p. 74. m. §. 58. & p. 66. f. §. 79.*
(e) *p. 79. §. 62. & p. 75. p. m. §. 58. it. p. 96. f. §. 79.*
(f) *p. 79. §. 62. & p. 74. §. 58.*

(g) *Praxeos Medicæ lib. 1. cap. 33. §. 7.*

§. 12. Hæc ſententia, qvoniam obſcuris qvodammodo verbis videtur propoſita, paulò explicatiùs ex ipſius Autoris hypotheſibus danda. Itaqve primò notandum, fieri, juxta allegatum Autorem, in dextro Cordis ventriculo (h) ex Salis volatilis oleoſi in Felle dominantis & ſpiritus acidi dulcis, potisſimam lymphæ partem conſtituentis, blandam qvandam & naturæ amicam efferveſcentiam (i), qvæ, qvoniam ab ipsâ vitæ noſtræ conſervatio naturalis depēdet, Vitalis Autori dicitur (k). Hinc ſi ab extraneo (l) Sale volatili acri (m) Bilis acrior & volatilior reddatur, & liqvor glandularũ ſubacidus (unô verbô Lympha) partim à dicto Sale (n) partim à Bile acriore & volatiliore (o) debilitetur atqve enervetur [volatilia enim acria infringunt acidum,] tunc, ob ſummam bilis volatilitatem & acrimoniam nec non lymphæ aciditatem inertem invalidamqve, aboleri vitalem hanc, à qva vita pendet, Efferveſcentiam (p) & ſangvinem reddi diſſolutiorem & fluidiorem, (q) qvi poſtmodum vel eductus, vel ſponte effluens coagulari neſcit (r), ineptusqve laudabili ſuæ Rarefactioni eſt (s). Unde poſtea, ob rarefactionem ſangvinis minorem, pulſus fit parvus & langvidus. (t)

§. 13. THOMAS WILLIS, *Medicus Anglus*, qvi defendere conatur, omnium febrium eſſentiam conſiſtere in fermentatione præternaturali, inde malignam qvalitatem oriri (u) opinatur, qvod ſangvis inter deflagrandum & calorem, à fermentatione præternaturali genitum, ratione fermenti maligni per partes coagulari ac putreſcere incipiat. Qvæ opinio inde nata videtur, qvod ſtatuat (x), venena, qvæ in ſangvinem agunt duplicis potisſimum eſſe generis: Alia enim ſangvinem nimis fundere & compagem ejus nimis laxam reddere: Alia, qvæ longe periculoſiora ſunt ſangvinem coagulare, congelare, ejusqve mixtionem deſtruendo corrumpere, ſcil. Maſſæ ſangvineæ primò congelationem, dein putredinem inducere.

§. 14. Verum infelici admodum ſucceſſu. Qvantis enim difficultatibus expoſitæ ſint hæ ſententiæ, & qvam parum firmô, ne dicam nullô, ſtent talô falſisqve nitantur hypotheſibus, ille facilè intelliget, qvi modò ſententias atqve rationes ipſorum accuratius paulò juxta ſolidioris Chymiæ ac Medicinæ principia examinaverit & ad veritatis libram expenderit. Malo itaqve

ingenuè

(h) *Lib. 1. Cap. 19. §. 2.*
(i) *Lib. 1. Cap. 19. §. 3.*
(k) *Lib. 1. Cap. 19. §. 2.*
(l) *Lib. 1. Cap. 33. §. 9.*
(m) *Lib. 1. Cap. 33. §. 7.*
(n) *Lib. 1. Cap. 33. §. 7.*
(o) *Lib. 1. Cap. 19. §. 7.*
(p) *Lib. 1. Cap. 19. §. 7. & 60.*
(q) *Lib. 1. Cap. 19. §. 7.*
(r) *Lib. 1. Cap. 33. §. 6.*
(s) *Lib. 1. Cap. 34. §. 57.*
(t) *Lib. 1. Cap. 26. § 18. & cap. 34. §. 8. & 57.*
(u) *p. 162. de Febb.*
(x) *p. 148. de Febb.*

ingenuè meam hic confiteri ignorantiam, & τὸ θεῖον Hippocraticum agnoſcere, qvam cum Neotericis impudenter omnia ad manifeſtas qvalitates deducere & falſa pro veris venditare.

§. 15. Excitant autem hanc in corpore noſtrô corruptionem MIAΣMATA ſ. fermentum febrile; qvorum natura & ἐνέργεια, in qvonam propriè & principaliter conſiſtat, mens humana determinare atqve explicare haud poteſt. Et qvamvis Recentiorum alii in Sale volatili, alii in Sale volatili acri, alii in acido τὸ εἶναι ipſorum conſiſtere probare allaborent, fruſtra tamen ii ſunt, nullumq; aſſenſum merentur.

§. 16. Hoc certum eſt, μιάσματα illa (ut ex effectu ipſorum videre eſt) eſſe volatilis, ſpirituoſæ nec non venenatæ naturæ, & eleganter admodum à *B. Sennertô* (y), & *Medicô* & *Philoſophô acutiſſimô*, cum fermento comparari. Ut enim exigua fermenti qvantitas, maſſæ farinaceæ non fermentatæ miſta, facit, ut ipſa effervescat: ſic & μιάσματα illa è locis venenatis & humoribus corruptis malignisqve egreſſa, & in Maſſam ſanguineam delata, ſimilem illis in hâc excitandi corruptionem vim habent.

(y) *lib. 4. de Febr. cap. 3. p. 395.*

§. 17. Et hæc de febris noſtræ cauſis tum immediatis, tum etiam mediatis proximioribus hactenus (prolixiùs forſan, qvam decebat,) dicta ſufficiant. Tempus eſt, ut etiam PETECHIARUM CAUSAM EFFICIENTEM, qvò natura illarum clariùs innoteſcat, ſcrutemur. Eſt hæc, velut definitio noſtra habet, FACULTAS EXPULTRIX. Enimvero qvicqvid in corpore, præcipue ad ambitum ejusdem expellitur, expellitur Facultatis Expultricis beneficiô, eâqve vel benè, vel malè, vel mediô ſ. mixtô modô agente. Unde triplex hic in Petechiali febre exſurgit & conſiderandus venit Motus, *Criticus* nempe, *Symptomaticus* & inter hos duos extremos *Medius* ſive *Mixtus*, qvi qvasdam utriusqve conditiones habet, ſecundum qvas ex parte Criticus ſ. laudabilis, ex parte ſymptomaticus ſ. illaudabilis dici poteſt.

§. 18. Deſcriptiones horum Motuum, acuratas ſatis, reperire licet apud *B. Sennertum* (z), Communem Germaniæ Præceptorem, qvi hanc in rem conſulendus. Eas enim huc transferre atqve tranſcribere nolumus. Illud tantum hoc loco breviter notamus:

(z) *lib. 4. de Febr. c. 13. p. 537.*

mus: Petechias rariſſimè criticè vel ſeptimo morbi die prodire, ſed communiter & ſemper fere ſymptomaticè erumpere, ceu hoc ipſum qvilibet in praxi obſervare poterit.

## *CAPUT V.*

## ENUMERANS CAUSAS REMOTIORES.

§. 1.

IN CAUSARUM REMOTARUM inveſtigatione occurunt primo RES NATURALES, inter qvas primas tenet TEMPERAMENTUM CALIDUM ET HUMIDUM ſive SANGVINEUM. Hoc enim ad fermentationem ſubeundam aptiſſimum & corruptionem recipiendam eſt promptiſſimum, unde etiam *Oct. Roboretus* (a) potiſſimum corpora ſangvinea & benè qvadrata hâc febre periclitari & qvàm facillimè infici obſervavit. CALIDUM ET SICCUM verò etiam ad exæſtuationem & ebullitionem proclive, habiliusqve, qvam PITUITOSUM & MELANCHOLICUM.

(a) *p. 3. & 38. de Pet febr.*

§. 2. ÆTAS nulla ab hoc morbo immunis ac libera, OMNIS ejusdem truculentiæ expoſita, magis tamen JUVENILIS & Conſiſtens ſ. VIRILIS, imò & PUERILIS, qvàm SENILIS. *Carpit*, inqvit *Fracaſtorius* (b) ea (febris petechialis) *contagio magis juvenes & pueros.* Et rurſus (c): *mulieres paucæ, ſenes pauciſſimi, juvenes & pueri multi eâ febre deperiere.* SEXUM UTRUMQVE, potiſſimùm tamen VIRILEM hâc febre jactari, tum obſervationes (& has inter modò adducta) ab Autoribus paſſim memoriæ proditæ, tum etiam qvotidiana experientia loqvuntur.

(b) *de Morb. Contag. lib. 2. cap. 7. p. 163.*

(c) *de Morb. Contag. lib. 2 c. 6. p. 159.*

§. 3. Inter RES NON NATURALES primum ſibi locum vendicat AER, qvi verò, cum ſit corpus ſimplex, ex ſe & ſuâ naturâ omnis expers eſt vitii, ex accidenti tamen & ratione particularum, qvibus refertus eſt, vitium contrahit & duobus potiſſimum hic accuſandus venit modis. Primò qvidem qvatenus vaporibus atomisq; putridis, fœtidis & malignis, qvæ ſimilem in Maſsâ ſangvinea excitandi corruptionem vim habent, ſcatet. Hæ particulæ autem vel in ipſo aëre corrumpuntur: vel alibi jam

jam

jam corruptæ eò deferuntur. In ipſo aëre vitium capiunt, ſi ſtagnant, nec à Ventis ſalubribus agitantur & diſſipantur.

§. 4. Aliunde particulæ vitioſæ deferuntur vel à Ventis è putridis ſqvalidisq; locis oriundis & per illa vagantibus: vel ex ſtagnis, lacubus, paludibus, piſcinis aliisqve locis qvietis & cœnoſo humore refertis, aut in qvibus linum aut cannabis maduit; vel cadaveribus inſepultis putreſcentibus, & animalibus, ovibus e. g. bovibus &c. morbis malignis extinctis, maximè ex hominibus febribus petechialibus laborantibus exhalent; tunc enim, ſi corpus diſpoſitum inveniant, *Contagium* oriri dicitur.

§. 5. Deinde verò Aer etiam ad morbi noſtri generationem facit, qvatenus primarum qvalitatum intemperie & inæqvalitate peccat, ita ut vel calidus nimis, vel frigidus aut humidus vel ſiccus ſit: aut qvando poſt diuturnam ingentemqve ejusdem caliditatem intenſa frigiditas, vel poſt nimiam illius humiditatem & freqventes pluvias extrema ſiccitas repente ſuboritur, & contra: it. cum inverſo ordine in hyeme calidus, in æſtate verò frigidus eſt. Sicut enim is varias alterationes & mutationes in corpore humano, eò cum alimentis, per reſpirationem, per poros, aliaq; corporis loca patula delatus, cauſatur, ſic in ſpecie fermentationem præternaturalem & febres excitare ſolet.

§. 6. ASTRORUM etiam, à qvibus Aeris ſtatus & mutationes maximè pendent, meritò hic facienda eſt mentio; prout enim hæc vel calida & ſicca, vel frigida & humida effluvia è terra exſugunt qvaſi & extrahunt: ita & Aëris conditio deprehenditur. Imò non primarum tantum qvalitatum in aëre exceſsûs, ſed & particularum putridarum & putreſcentium cauſæ ſunt. Illarum qvidem qvatenus ex cadaveribus, latrinis, aliisqve fœdis locis, ſuperius traditis, illas evocant: harum verò dum Effluvia mercurialia & ventos, ſtagnantes alias in aëre atqve putreſcentes particulas agitantes & diſcutientes, è terris non provocant.

§. 7. Non minori multo aëre hunc morbum producendi vî pollent ESCULENTA ET POTULENTA. Hæc enim aſſumpta variis modis corpus noſtrum lædere ſolent, ex qvibus tamen duos

 tantum

tantum hic recenſere libet, qvatenus nim. vel *qvantitate*, vel *qvalitate* peccant. *Qvantitate* CIBI peccant, cum in magnâ copiâ ingurgitantur, unde natura his gravata & calor ventriculi obrutus eosdem concoqvere, & ad debitam πνευμάτωσιν deducere non valent, ſed cruditates, humores cacochymici, putridi, & ſangvis illaudabilis minusq; ſpirituoſus generantur.

§. 8. *Qvalitate* peccant, qvum fructus immaturi, vel licet maturi, facile tamen putreſcibiles, ut ſunt melones, cucumeres, cucurbitæ &c. ſi frumenta, qvalia ſunt triticum, ſecale, &c. & ex his confecta, it. legumina mucida & rancida aſſumantur. Cùm fungi terræqve tubera devorantur, aut piſces ex paludibus, lacubus & aqvis ſtagnantibus, vel putridi & minus bonæ notæ comeduntur: It: qvando carnes pravi ſucci, qvalis e. g. hircorum eſt, vel corruptæ & animalium, non manu hominis ſed vi morbi, præſertim maligni, extinctorum degluriuntur. Aut deniqve cum olera, qvæ à nebulis malignis atqve è cœnoſis putridisqve locis exſurgentibus vel uredine peſſimam acqviſiverunt qvalitatem, ingeruntur.

§. 9. POTUS vero noxius eſt *qvantitate*, ſi is, vinum præſertim & muſtum, copioſius hauriatur, facile enim tunc Maſſam ſangvineam efferveſcere atqve ebullire facit accenditqve: & *qvalitate*, ſi vina vapida, pendula, corrupta; vel cereviſia aliaq; potulentorum genera ex frumentis vetuſtis, mucidis & rancidis, nec non aqvâ ſordidâ, ſtagnante, putridâ parata, aut iſta licet in ſe bona, non ritè tamen defæcata epotantur.

§. 10. MOTUS ſicut excedens vel nimius ſpiritus abſumit, ſtatim à cibo intempeſtivè inſtitutus coctionem ventriculi Chyliqve diſtributionem impedit, chylum crudum in vaſa lactea præcipitat, humores in corpore cacochymicos & particulas heterogeneas ac peregrinas in ſangvine exagitat & ad fermentationem ſubeundam commovet: Ita deficiens ſ. QVIES immoderata, ſangvinis Circulationem retardat, nec eundem exagitat, unde minus volatilis, ſed craſſior atqve fixior evadit, & ad corruptionem diſponitur.

§. 11. Qvieti admodum affinis, imo qvaſi ſpecies ejus eſt SOMNUS, unde qvoqve plus æqvo captus ſimilem, ſi non eandem,

dem, in corpus noſtrum agendi vim habet. Evacuationes enim atqve excrementa æqve ac qvies detinet, crudos & pituitoſos humores generat, ſpiritus atqve ſangvinem torpidos reddit, & corruptioni anſam præbet. VIGILIÆ, Motui ex parte reſpondentes, ſi ſint nimiæ, ſpiritus continuo agitant, corporis vires labefactant, cruditates pariunt, bilemqve accuunt & accendunt.

§. 12. Inter EXCRETA ET RETENTA eminet ΑΔΙΑΠΝΕΥΣΤΙΑ ſ. TRANSSPIRATIO PROHIBITA, qvæ uti in genere infinitorum morborum, ſic in ſpecie qvoqve febrium, maxime verò petechialium, mater eſſe ſolet. Tunc enim halituoſa excrementa & fuligines ſylveſtres, in corpore noſtro genitæ atqve naturaliter per poros cutis exhalantes, retinentur, & poſtmodum vel cumulatæ, vel levi occaſione excitatæ peregrinum inducunt motum & fermentationem, ex qva calor tandem & corruptio Maſſæ ſangvinæ oriuntur. Nimia qvoqve PORORUM LAXITAS ſæpiùs non levis hujus febris cauſa eſt, cum faciliùs tunc Contagii recipiuntur ſeminatia, & portâ recluſâ liber ingruenti hoſti pateat aditus.

§. 13. ANIMI PATHEMATA, qvæ pro diverſis ſuis naturis ſangvinem modò à centrò ad peripheriam Corporis modò ab exterioribus versùs interiora rapiunt & movent, hic à culpa penitus abſolvendi non ſunt, præſertim ira, triſtitia, mœror & terror. *Ira* enim humores, ſangvinem & ſpiritus in corpore agitat, accendit, febresqve non raro producit; *triſtitia* verò & *mœror* ſangvinem lente versùs Cor remeare, & ibidem præter modum conſiſtere cogunt. *Terror* deniqve cum impetu ſangvinem ad Cor pellit, illic figit, & ſpiritus ſuffocat. Qvin etiam vel ſolus interdum, ſi à metu febris petechialis oriatur, ad morbum hunc procreandum ſufficiens ſit.

## *CAPUT VI.*
## EXHIBENS DIFFERENTIAM.

§. I.

ORdinis noſtri ratio poſtulat, ut recitatis cauſis, differentias qvoqve Febris Petechialis exhibeamus, qvæ verò qvoniam

ſuperio-

ſuperioribus maximâ ex parte continentur, atqve facile exinde peti poſſunt, eò breviores hic erimus, & tribus tantum, qvod ajunt, verbis eas trademus.

§. 2. Et ut AB IPSA ESSENTIA FEBRIS ordiar, aliqvando in hâc febre *calor qvidem intenſior, maligna vero qvalitas remiſſior eſt*, qvando ſcil. fermentatio eſt concitatior, fortior majorqve qvàm corruptio. Interdum autem Febris hæc *maximè qvalitate malignâ, exiguo verò calore Cor infeſtat atqve affligit*, tunc videlicet, cùm corruptio eſt deterior, pejor, & plus facesſit negotii qvàm fermentatio.

§. 3. Nonnunqvam *malignitas & calor pari ambulant passu* atqve æqvali adſunt gradu, & qvidem vel *infimô* eô ſcil. tempore, qvô Cor à calore & venenatâ qvalitate parum admodum & leviter afficitur; mitisſima tunc febris eſſe conſvevit, & putridarum benignarum æmulatur ferè naturam: vel *medio*, ſi malignitas non adeo intenſa, nec calor adeo magnus adeſt, & medio modo ſeſe habent: vel *ſummo*, cum & calor ingens & maligna qvalitas ſævisſima eſt. Pesſima tunc eſt, & ad peſtilentium febrium naturam qvam proximè accedit.

§. 4. Deinde differentia qvoqve EX FORMALI RATIONE PETECHIARUM deſumi poteſt. *Qvantitatis* enim & primò qvidem *continuæ* ratione aliæ ſunt *majores*, aliæ *minores*; ratione *diſcretæ* vero jam in *majori*, jam in *minori copiâ* conſpiciuntur, jam *unica* tantum adeſt. Reſpectu *coloris* qvædam ſunt *rubræ* & *purpureæ*, qvædam *puniceæ*, qvædam *virides*, qvædam *lividæ*, qvædam *violaceæ*, qvædam *nigræ*, &c.

§. 5. Qvoad *modum eruptionis* modò *difficulter & horrendis ſymptomatibus*, modo *facilè & non adeo gravibus ſymptomatibus* erumpunt: nunc *ſparſim & una poſt alteram*, nunc *confertim & omnes ſimul* proſiliunt. Qvoad *ſubjectum inhæſionis*, nonnullæ in *brachiis*, nonnullæ *circa collum & cervicem*, nonnullæ in *facie*, *pectore*, *dorſo*, *lumbis*, *natibus*, *pedibus &c.* prodeunt atqve hærent.

§. 6. *Tempus* ſi ſpectes & (1) qvidem *invaſionis*, febris hæc vel *hyeme*, vel *æſtate*, vel *vere*, vel *autumno* invadit (2) *eruptionis* petechiarum, aliæ in *principio morbi & primis diebus*; aliæ in *augmento*

*mento* & *ſtatu*, 6. videl: 7, 8, 9, 10, 11, &c. die, aliæ in morte vel paulo ante hunc, imò, qvod notabile eſt, qvandoq; poſt Ægri demum obitum prodeunt. (3) *durationis*, nunc febris *citiùs ſua decurrit tempora* terminumqve attingit & 4. vel 7. aut 14. morbi die terminatur: nunc *tardius*, & ad 20. usqve diem extenditur. Petechiæ verò jam *diu in cute ſubſiſtunt*, jam *citò iterum evaneſcunt*.

§. 7. *Cauſarum* ratione febris eſt vel *ab interno & domeſtico humorum vitio*, vel *à contagio* & *communi cauſa*, imò tot ejus dantur *differentiæ*, qvot ſuperius traditæ fuerunt *cauſæ*, qvas hic repetere non eſt opus. Petechiarum verò aliæ *criticè* & *laudabiliter*, aliæ *ſymptomaticè* & *illaudabiliter*, aliæ *medio* ſ. *mixto modo* à natura expelluntur

## *CAPUT VII.*
## CONTINENS SIGNA DIAGNOSTICA.

§. 1.

MOrbi cognitio qvàm neceſſaria ad curationem ejusdem ſit, vel exinde facilè colligere licet, qvod nulla absqve illa curatio inſtitui poſſit. Qvô pactô enim is, qvi, qvalis morbus ſit, qvæ eſſentia ejus, neſcit, contraria huic & convenientia medicamenta præſcribere poterit? Qva ratione medicamentis prudenter uti poterit? Tanta igitur cognitionis morbi ſi eſt neceſſitas, multò major ſanè notitiæ ſignorum erit. Per hæc namqve & nullâ aliâ viâ in morbi pervenimus cognitionem; per hæc qvis morbus ſit, qvæ cauſa ejus, qvalis eventus ejus ſit futurus, unicè cognoſcimus. Adeo verum eſt manebitqve divinum illud *Divini Senis* (a) effatum: *Qvi ſignorum cognitionem habuerit is ſolus curationem ritè aggredietur*. Haud malè itaq; egerimus, ſi in præſenti capite, qvò eò felicius & in cognitione & in curatione morbi progredi poſſimus, SIGNA DIAGNOSTICA, Prognoſtica verò in ſeqventi capite propoſuerimus.

(a) *lib. de Medico*.

§. 2. SIGNA igitur IMMINENTIS Febris Petechialis adeo certa & infallibilia non dantur, & deſumuntur illa ſolùm à cauſis præſentibus. Nam imminere *toti regioni* ex peſſima aëris, aqvæ, cibi & potûs conditione, nec nō omnibus iis cauſis, qvas ſuperius,

(b) *Cap. 4. & 5.* (b) enarravimus, aliqvô modô prævidere poſſumus. *Individuo* verò huic vel illi imminere febré hanc concludi poteſt, ſi graſſetur in urbe vel vicinia ejusdem, ſi ſit temperamenti ſangvinei, ſi cum Febre Petechiali laborantibus converſatus, aut terrore & timore, ne ſimili febre corripiatur, perculſus fuerit, qvibus ſi totius Corporis laſsitudines ſpontaneæ gravitas & veluti confractio omnium membrorum accedat, qvodamodo confidentiùs hunc Febre Petechiali laboraturum prædicere poſſumus.

§. 3. ADVENTANTIS verò ET PRÆSENTIS jam febris ſigna petuntur (1) AB ESSENTIALITER INHÆRENTIBUS. Præcedit levis horror ſ. horripilatio, ſeqvitur tunc calor, rarò qvidem magnus, ſæpius mitior, adeò ut de ipſo vix conqveri ſoleant Ægri, eumqve, qvod mitis admodum primis diebus appareat hæc febris, flocci faciant, nec facilè admittere velint Medicum, donec tandem, qvod qvarto plerumq; die ſolet contingere, plenô impetu irruant ſymptomata.

§. 4. (2) AB ESSENTIALITER CONSEQVENTIBUS ſ. SYMPTOMATIBUS, qvorum copioſam hic metere licet meſſem. *Oeconomiam* enim *naturalem* ſi perluſtremus, deprehendimus ciborum faſtidium aut nullum appetitum, aut ſi qvis adeſt, minor tamen qvàm in ſanô corpore eſt; ſitim vel magnam qvam nec largior reſtingvit potus, vel parvam & mitiorem, vel planè deficientem, licet corpus inſigniter æſtuet. Singultus interdum qvoq; moleſtus eſt atqve affligit. Vomitus etiam in hâc febre notavit *Steeghius* (c).

(c) *lib. 2. Med. pract. c. 7. p. 224.*

§. 5. In *facultate vitali* offendimus inſignem virium languorem & debilitatem ſtatim à principio, citra cauſam aliam, majoremq; qvam pro febris & caloris febrilis natura. Hoc potiſſimum, principale & inſeparabile febrium malignarum eſt σημεῖον, qvô à benignis dignoſci poſſunt. Reliqva enim omnia ferè febrium malignarum ſigna, ut ſyncope, vigiliæ, deliria, &c. in benignis etiam qvandoqve animadvertere licet, imò & magnam ſatis virium imbecillitatem; ſed non ſtatim ab initio, & qvæ à nimio Maſſæ ſangvineæ incendiô vel æſtu plerumq; proficiſci ſolet.

§. 6. Porrò hic advertere eſt reſpiratio difficilis, frigida, fœtida, inſignis Cordis anxietas, palpitatio, qvin & lipothymia

ſæpius

ſæpius atqve ſyncope. Pulſus Protheo eſt mutabilior, aliqvando enim, præſertim in principio morbi, parum aut nihil fere à ſano-rum videtur differre; fallere tamen ex aliorum præſentium ſym-ptomatum ſævitia cognoſcitur; interdum formicanti ſimilis, in-termittens, freqventius autem & communiter parvus, freqvens, debilis. &c.

§. 7. In *facultate animali* occurrunt gravitas & dolor capi-tis, ſomnus inqvietus, vigiliæ, qvandoqve verò vigilandi im-potentia & ſomnolentia ſoporq; ſenſus hebetes & ſtupidi qvaſi, mens non conſtans, delirium, βαρυηκοΐα ſ. auditus gravitas, ſapor deficiens, lingva arida, ſcabra, nigra, fiſſa, faucesqve non rarò inflammatæ, tuſſis, loqvelæ articulatæ amisſio, inqvietudo, cor-poris jactatio, decubitus ſupinus, Convulſiones &c. Dantur tamen caſus, ubi facultatis animalis actiones non adeo enormi-ter, ſed parum & nullæ fere læduntur, ſicut & cætera in naturali atqve vitali facultate, ſymptomata non tam ſævia ſemper, ſed mi-tiora interdum ſunt.

§. 8. Urina interdum (idq; magis in initio morbi) ſanorum eſt ſimilis, interdum tenuis & cruda, communiter verò craſſa, tur-bida, colorata, rubra, flammea, fœtida. Non rarò etiam planè ſupprimitur & detinetur. Alvus plurimis eſt obſtructa; non-nullis tamen vel à levi pharmaco purgante hauſto, vel à materia corrupta, vel à natura ſ. recte ſ. male agente reſeratur, & excre-menta liqvida, ſpumoſa, pingvia, viridia, flava, livida, fœten-tia, &c. rejiciuntur. Hæmorrhagiæ è naribus aliisqve partibus modo maximô naturæ emolumentô, modò inſigni ejusdem de-mento contingunt. Sudores freqventes, parvi, inutiles non al-levantes morbum, aliqvando frigidi, fœtidi prodeunt. Paroti-des qvoq; & bubones interdum, teſtibus *Steeghio* (d), *Timæo* à Güldenklee (e) & *Oct. Roboreto* (f), natura aut morbus protrudit. Vermes per ſuperiora & à plurimis per inferiora rejectos vidit idem *Roboretus* (g) & *Amatus Luſit.* (h)

§. 9. In *qvalitatibus mutatis* facies nonnunqvam Hippocra-tica eſt, nonnunqvam rubet, ſicut & oculi ſ, lachrymantibus ſi-miles; manus vel pedes vel utraq; alieno & toti Corpori & diſſi-mili

(d) *lib. 2. med. pract. c. 7. p 225.*
(e) *lib. 6. Caſ. 6. p. 265.*
(f) *de pet. febr. c. 10. p. 166.*
(g) *de pet. febr. c. 10. p. 167.* (h) *Cent. 4. Cur. 62. p. 430.*

ſimili aut diverſo momentaneo ac fugaci colore qvandoqve colorantur, qvandoqve verò manifeſtò rubent, & tunc Ægri de inſigni extremorum calore conqveruntur: videri poteſt hac de re latius diſſerens *S. Pauli*(i). Cutis hinc inde & in pleriſqve Corporis partibus maculis conſpurcatur. Hoc primarium & unicum fere eſt ſignum, qvô de præſentiâ Febris Petechialis certiores fieri poſſumus, reliqva enim ſuperiùs allata, cæteris qvoqve febribus malignis ſunt communia.

(i) *Digr. de febb. Malign. §. 51. p. 62. & 63.*

## CAPUT IIX.
## COMPREHENDENS SIGNA PROGNOSTICA.

§. 1.

TRaditis ſignis Diagnoſticis, ad PROGNOSTICA etiam accedendum, ut ex illis morbi noſtri eventum, hujus tempus modumq; diſcere, &, qvalem ille ſortiturus ſit exitum, prædicere qveamus. Cautè verò hic procedendum, & non niſi probè examinatis ſignis judicium de futuro morbi ſtatu ferendum, tum qvia febris acuta, in qvâ, *Hippocrate* (a) teſte, non omnino certæ ſunt ſalutis aut mortis prædictiones; tum etiam qvia maligna eſt, in qvâ optimis ſæpe ſignis fidendum non eſt, & aliqvando alii cum peſſimis ſignis evadunt, alii cum optimis pereunt.

(a) *2. Aphoriſm. 19.*

§. 2. Prognoſis verò & prædictio EVENTUS ſive SALUTIS ET MORTIS deſumitur (I) *ab eſſentialiter inhærentibus* ſ. *ipſa eſſentia* morbi. Magnus & periculoſus eſt hic affectus, qvia morbus univerſalis & acutus, omnes partes, ſolidas nempe, humidas & impetum facientes afficiens. Magnus eſt, qvia malignus eſt, qvô multi pereunt. Magnus eſt ob partium affectarum præſtantiam; Cor, ipſa regia Animæ ſedes, & ſangvis, vitæ noſtræ theſaurus pretioſisſimus, hic affliguntur. Periculoſior deniq; eſt, qvò malignior & qvo plures eodem tempore illô corripiuntur atqve intereunt.

§. 3. (II) Peti poteſt *ab eſſentialiter conſeqventibus* ſ. *ſymptomatibus*; de qvibus in genere cum *B. Sennerto* (b) pronunciamus: *qvo pauciora & ſtatui naturali propiora adſunt, eò melior morbi ſperandus eventus*; & contra: *qvo plura & à ſtatu naturali remotiora*

(b) *Epit. libb. de Febr. lib. 4. c. 10. p. 099.*

*tiora præſtò ſunt, eò pejor metuendus exitus*: In ſpecie qvod *Facultatis Naturalis* ſymptomata attinet, faſtidium ciborum & appetitus dejectus non adeò malum ſignum, malum verò ſitis inexplebilis & nullo potu reſtingvenda. Pesſima autem & lethalis plerumqve eſt ſitis plane deficiens, ubi tamen ingens ſatis corporis æſtus, indicat qvippe facultatem naturalem non amplius percipere ſtimulos, & à malignâ qvalitate victam.

§. 4. In *Facultate Vitali* Pulſus æqvalitatem & tenorem ſervans, licet febris maxima appareat, ſpei ſemper aliqvid præſtat. Contra verò inordinatus, inæqvalis, præſertim ſi à principio debilis ſit, periculoſus ut & qvi ſanorum ſimilis apparet. Intermittens Pulſus non adeò malum ſemper ſignum, ſi ictuum numerus pauſarum vel intermittentium pulſuum ſuperet, ita ut e. g. duo vel tres ictus primùm fiant, tertius verò vel qvartus demum qvieſcat & intermittat, notat enim naturam morbo adhuc ſuperiorem. Inde qvoqve *Laz. Riverius* (c) in febribus malignis Juvenes non paucos pulſum intermittentem per multos etiam dies habentes, evaſiſſe notavit.

(c) *Meth. Cur. febr. ſect. 3. c. 1. p. 114.*

§. 5. Vires in noſtra febre qvo fortiores & robuſtiores eò major ſalutis ſpes affulget, & contra: qvo debiliores illæ & imbecilliores eò minor optati eventûs ſpes reliqva eſt. Reſpiratio difficilis, ſublimis, fœtida, inſignis cordis anxietas & palpitatio pesſima ſigna. Funeſta plerumqve & lethalia exſpiratio frigida, lipothymia & ſyncope, qvæ ingentem ſpirituum vitalium defectum & Facultatis Vitalis imbecillitatem arguunt.

§. 6. In *Facultate Animali* mens ſana & ſibi conſtans bonum, bonum qvoqve amicorum internotio, ſomnus naturalis, decens decubitus & ſanorum ſimilis &c. His contraria ſi occurrant, delirium nempe, oblivio, ſenſus hebetes & ſtupidi qvaſi, loqvelæ articulatæ amisſio, vigiliæ pertinaces aut ſomnolentia nimia & ſopor, it: decubitus ſupinus, denudatio indecens, inqvietudo, corporis jactatio, tremores &c. pesſimum. Motus convulſivi nec non qvi hos imitatur & qvaſi convulſivus eſt, Singultus, omnes lethales.

§. 7. Βαρυηκοΐα ſive auditus difficultas, qvæ poſt ſtatum ſive circa declinationem à natura excernente materiam peccantem per ductum cartilagineum ex aure in palatum deſinentem, contingit, ſalutare eſt ſignum, præſertim ſi Ægri priùs de pruritu aut titillatione ad palati latera & ad gargareonis radices, mox de depravato guſto conqveſti fuerint. Peſſima verò qvæ ab emoriente facultate animali & viribus exhauſtis provenit. Oculos feroces & torvos qvi habent, ut & qvi de doloribus bulbi oculorum, nullâ præſente ophthalmiâ conqveruntur, rarenter morbo liberantur.

§. 8. Urina in hoc morbo per omnia ſanorum ſimilis vel plane ſuppreſſa, lethalis. Alvi obſtructio, ſi non ſit nimia, bona; fluxus vero ejusdem qvi vel à levi pharmaco purgante excitatur, aut à morbo prædominante, vel humorum peccantium malitia cum inſigni virium jactura oritur, uno verbo, ſymptomaticus & colliqvativus, peſſimus eſt; ſalutaris contra criticus qvi eſt, & conſtanti virium robore à natura peragitur. Narium hæmorrhagia ſi larga ſatis & cum *εὐφορίᾳ*, ſi febris atqve ſymptomatum imminutione & criticè fiat, ad jucundum exitum morbum perducit; ſi autem parca nimis, ſymptomata febris non minuantur, vires ulteriùs debilitentur, exitium præſagit. Sudores critici ſalutis, frigidi & fœtidi mortis prodromi.

§. 9. In *qvalitatibus mutatis* facies Hippocratica eſt lethalis. Maculæ majores & copioſe erumpentes, qvæ à natura criticè protruduntur, bonum ſignum, qvæ verò ſymptomaticè producuntur, malum. Minores & pauciores, ſicut laudabilem morbi exitum pollicentur, ſi à materiæ corruptæ paucitate tales ſint; ita is non ſperandus, ſi ob naturæ imbecillitatem & Facultatis Expultricis impotentiam eâ qvantitate effloreſcant. Rubeæ & purpureæ ſunt ſecuriores cæteris, lividæ & violaceæ periculoſisſimæ, & ſæpius lethales, nigræ omnem ſalutis ſpem adimunt.

§. 10. In facie effloreſcentes mortem certisſimam portendunt, ita ut, referente *Oct. Roboreto* (d), vix ullus, qvi eas in facie habuerit, curatus viſus fuerit; ſignificat enim tantam qvalitatis

(d) *de pet. febr.*

litatis malignæ potentiam, ut nobilorem partem corporis, caput nim., occupet.

§. 11. (III) Deniqve ſigna ſalutis & mortis nobis præbent CAUSÆ; qvo major enim & celerior ſangvinis corruptio, eò periculoſior febris; pejor ea qvæ à Contagio & communi, qvam qvæ ab interno & domeſtico humorum vitio.

§. 12. TEMPUS EVENTUS ſive DURATIONIS, ſi deſideras, breve eſt. Qvi enim ſtatim ab initio remedia idonea huic morbo adhibent, ſeptimo vel nono aut undecimo die qvandoqve liberantur, communiter tamen, acutorum more, intra 14. dies hæc febris terminatur. Reperitur etiam & legitur exemplum apud *Amatum Luſit:* (e) febris hujus qvarto die ad ſalutem, & aliud apud *Hœchſtetterum* (f) eodem die ad mortem finitæ. Raro autem ad 17. vel 20. diem usqve extenditur.

(e) *Cent. 3. Cur. 23. p. 271.*

(f) *Obſerv. Decad. 1. Caſ. 5. p. 17.*

§. 13. Obſervandum verò hic probè eſt, utut febris hæc intra (g) definitum ſpatium ſua decurrat tempora terminumqve attingat; malignam tamen qvalitatem ſæpisſime penitus non ceſſare, unde Ægri, licet non adeò gravi vitæ periculo, etiam per multos menſes decumbere qvandoqve coguntur.

(g) *præc.* §.

§. 13. MODUS EVENTUS variat, ſolvitur enim criſi *ad ſalutem* abſceſſu, diarrhæâ, mictu, hæmorrhagiâ naſi, uteri &c. freqventisſimè vero per maculas & ſudorem. *Ad mortem* terminatur motibus convulſivis, hæmorrhagiâ ſymptomaticâ &c.

## *CAPUT. IX.*
## INDICATIONES ERUENS.

§. 1.

NOvimus itaqve atqve ex ſuperioribus cognitum perſpectumqve habemus, Febris noſtræ eſſentiam in calore præternaturali totius corporis & malignâ qvalitate conſiſtere, novimus, inqvam, dependere hæc à præternaturali Maſſæ ſangvineæ fermentatione & peculiari ejusdem corruptione; novi-

novimus & illud, corruptionem hanc à fermentô qvôdam peregrinô excitari; novimus deniq; morbum hunc inſigniter vires debilitare atq; dejicere, qvid itaq; hic agendum?

§. 2. Morbus iſte aut jam præſens in corpore eſt aut non eſt. Si præſtò non eſt, in id totis viribus incumbendum, ne admittatur, nam

*Turpius ejicitur qvam non admittitur hoſtis*

Præſtabimus id ipſum autem omnes cauſas, qvæcunqve aliqvid ad morbi hujus generationem conferre poſſunt, removendo. Hinc maſſæ ſangvineæ corruptio medicamentis, inferiùs in curatione ejusdem traditis, præcavenda, plethora, ſi adeſt, Venæſectione aliisqve minuenda, cacochymia purgantibus tollenda, diæta illegitima corrigenda.

§. 3. Qvod ſi verò præter ſpem invaſerit, opera dand, ut depellatur, qvod fiet, ſi remedia, qvæ indicat & poſtula, adhibuerimus, calorem nempe præternaturalem refrigerantibus alterando, malignam qvalitatem ipſi adverſis expellendo, corruptionem Maſſæ ſangvineæ inhibendo, fermentum præternaturale domando, vires debilitatas & deperditas refocillando & reſtaurando.

§. 4. Adeundi hunc in finem remediorum Fontes, Chirurgicus nim., Pharmaceuticus & Diæteticus, perluſtranda ipſorum ſupellex, atq; ex hâc remedia, noſtræ febri accommoda ſeligenda & ritè applicanda.

## CAPUT. X.
## EXHIBENS AUXILIA E FONTE CHIRURGICO.

§. I.

TRanſeamus E. ad Officinam Chirurgorum, & ibidem, qvod è re noſtra ſit & ad ſcopum noſtrum obtinendum conducat, diſpiciamus. Offert ſe hic primò utilisſima pariter atqve decantatisſima, in calidis præſertim morbis, operatio Venæſectio, qvæ utrum in hoc affectu, febris maligna qvi eſt,

eſt, ſit inſtituenda, it: qvando & an apparentibus jam peticulis in uſum trahenda tanta inter Medicos diſſenſio eſt, ut ſe ex hâc controverſiâ, niſi probè ponderatis ipſorum rationibus, extricare haud liceat.

§. 2. Longum autem foret omnes qvæſtiones & ſententias hic recenſere, pertractare atqve examinare, qvapropter ut brevitati ſtudeamus, unicam illam: *An in noſtra febre apparentibus peticulis ante qvartum diem* (poſt hunc enim, ob vires valde diminutas, Phlebotomiam ceu funeſtam utplurimum rejicimus atqve damnamus) *Venæ ſectio ſit adminiſtranda*? qva poterit fieri brevitate ventilabimus; ſic enim cæteræ, qvæ circa Venæſectionem occurrunt controverſiæ, ſimul decidentur.

§. 3. Qvi illam reformidant & ut noxiam damnant, his potiſſimum nituntur rationibus (I) qvod vires eâ debilitentur, debilitatis autem viribus & ſpiritibus malignam qvalitatem majora incrementa capere, faciliusqve Cor, armis ſpoliatum, ſuperare. (II) Qvod tunc ſangvis corruptus & malignus ſimulqve Petechiæ ad interiora trahantur. (III) Qvod viſa fuerit maxima pars eorum, qvibus ſecta erat Vena, ſibi acceleraſſe mortem, abſtinentes vero à Venæſectione evaſiſſe incolumes, experientiâ *Fracaſtorii* (a), *Aug. Thonneri* (b) aliorumqve.

§. 4. Verum hæ rationes, ſi paulo accuratius & oculorum & mentis acie eas perluſtremus, tantæ non ſunt, ut nos ab adminiſtratione Venæſectionis deterrere poſſint. *Primum* enim qvod concernit vires eâ frangi tantum abeſt ut potius eâ reficiantur; levatô namqve ex parte per Venæſectionem, qvô premebantur, onere, potentius evadunt ad reſiſtendum malignitati. *Alteram* objectionem diluit & erudite refellit *B. Sennertus* (c), qvi legi meretur. Ad *tertium* reſpondet ipſe *Fracaſtorius* (d), id nempe ideo contigiſſe, qvod Venæ ſectio non circa initia, ſed tum maximè, qvum ſeminaria jam diſperſa eſſent, ſuſcepta fuerit. Aſt propter abuſum Venæ ſectionis uſus legitimus non tollendus, hic potius maneat, ille tollatur.

(a) *lib. 3. cap. 6. p. 229.*
(b) *lib. 1. Obſ. 33.*
(c) *in Inſtit. Med. p. 1169.*
(d) *lib. 3. cap. 6. p. 231.*

§. 5. Hinc dicimus: Ubicunqve una cum plethora calor adeſt magnus aut etiam futurus, ibi commode, imò

neceſſariò ſecatur Vena, ſive appareant maculæ, ſive non. *Qvantitatem* ſangvinis effundendi tunc Ægri temperamentum, habitus & conſtitutio, morbi vehementia, maximè verò vires tum præſentes, tum futuræ, determinabunt; poteſt illa ad ℥iij. vel jv. circiter extendi. *Locum* ſectionis ſimiliter Ægri conſtitutio nec non ſexus indicabunt. Suppresſis menſibus vel hæmorrhoidibus ſaphæna pedis, alias (niſi forſan ſymptomata præſentia e. g. Angina, aliam poſtulent) mediana aut baſilica brachii, *Roboretus* (e) ſalvatellam manus addit, eſſe poteſt.

(e) *de pet. febr.*

§. 6. Ubi autem vel vires admodum debiles, vel plethora non urget, nec calor multum faceſſit negotii, tutiùs omittitur Venæ ſectio & ad ipſa ſtatim Alexipharmaca confugitur. Præſtat enim ab his præmiſsô leni enemate, curationis initium capere, & illico malignam qvalitatem in ipsâ herbâ ſuffocare, qvam multis lenientibus & Venæ ſectionis reiterationibus tempus perdere, dum interea maligna qvalitas altas agit radices.

§. 7. Vicariæ Venæſectionis ſunt CUCURBITULÆ, qvæ itidem in hâc febre applicari, idqve magnô cum fructu, poſſunt. SICCIS enim uti potiſſimum licet, ubi leviter absqve evacuatione, qvod ea jam ſufficienter præmiſſa, naturæ motum tantum adjuvare intendimus. SCARIFICATIS verò, ubi præter attractionem Petechiarum ſimul etiam aliqvam plenitudinem minuere cupimus, præſertim ſi antea ſangvis non ſufficienter fuerit evacuatus, aut Venæſectionem tutò, ob metum dejectionis virium, inſtituere non licuit; minori enim virium jacturâ hæ ſanguinem educunt, qvam Venæſectio. *Locus* ipſarum brachia, pedes, nates, dorſum &c. eſſe poſſunt. *Numerum* multitudo Petechiarum & qvantitas ſangvinis evacuandi dictitabit.

§. 8. VESICATORIA qvoqve ob inſignem, qvem in hôc morbô præſtant, uſum, non exiguam merentur laudem. Febrem enim minuunt, calorem & malignam qvalitatem à Corde ad exteriora rapiunt, motum petechiarum adjuvant, & deliria, phrenitidem, ſopores non raro præcavent vel tollunt. Et qvamvis nonnulli uſum horum in febribus malignis rationibus qvibusdam proſcribere tentent, fruſtra tamen ii ſunt, & ablegandi potius ad *Oct. Roboretum* (f), qvi argumenta ipſorum doctè frangit

(f) *Tract. de Veſic. cap. 1. p. 396. & ſeqq.*

git & diſſolvit. Adhiberi autem in iis potiſſimum, ubi exteriora frigent, interiora verò uruntur, habitus carnoſior & temperamentum frigidius, & ita debent, ne naturam per alvum aut alia loca criticam evacuationem vel criſin molientem turbêmus & impediamus. Applicari poſſunt brachiis, pedibus & nuchæ etiam. Communior parandi modus hic eſt.

℞ *Ferment. acr.* ℥ß *Cantharid. abſciſ. alis & capit. No.* iiij *l. v. ſem. ammios* ℈j *cum* ✠*ti accerr. q. ſ.* M. F. Cataplaſma.

§. 9. FRICTIONES extremorum & dorſi linteô aſperiori vel pannô coccinnô inſtitutæ hic non erunt de nihilo. Non ſolum enim ſangvinem & cum hôc malignam qvalitatem à centrô ad peripheriam Corporis alliciunt, & motum Petechiarum latentium ad exteriora promovent; verum etiam cutim rarefaciendo poros ejusdem aperiunt, qvibus recluſis commodior poſtmodum & felicior vaporum calidorum & malignorum fit tranſpiratio.

## *CAPUT XI.*
## TRADENS REMEDIA E FONTE PHARMACEUTICO.

§. I.

PHarmacia primò nobis exhibet & porrigit purgantia, qvæ ſi *fortiora*, accipere meritò recuſamus. Inſigniter enim vires debilitant, Petechias ab exterioribus ad interiora trahunt, & contrarium naturæ motum inducunt, humores nimis turbant & commovent, ac lethales ſæpe hypercatharſes excitant, non qvidem vi propriâ, ſed peccantium humorum acrimonia & malignitate, qvi ſtimulô, etiam non adeò magnô, datô, à circumferentia corporis præcipitanter ad inteſtina ruunt; ea itaqve hic præſcribere religio nobis ſit.

§. 2 *Mitiora* vero & *leniora*, qvæ absq; inſigni virium detrimentô, naturæ & humorum irritatione primas ſaltim vias leniendô & lubricandô evacuant, eaqve, qvæ fortiora, incommoda non pariunt, acceptamus, & Febre Petechiali laborantibus seqventem in modum parata propinamus.

℞ *Sirup. roſar. ſol.* ℥ß *Aqv. roſar.* ℈iiij *cinam.* ℈ij *Extr. Rhabarb.* ʒß *reſin. gialap. gr. j.* M. S. Purgier-Säfftlein auff j. mahl.

℞ *Decoct: fl. & fruct.* ℥iiß In iis infund. per noct. *fol. ſen. ſ. ſt.* ʒiß *Rhabarb. opt.* ʒß *crem.* ♀ri ℈j Mane parum ebulliant, Colat. adde *Mannæ opt.* ℥ß *aq. cinam.* ʒß Miſc. F. Potio S. Purgier-Tränckleín auff j. mahl.

§. 3. Si ergo purgantibus lenitivis locus in curandâ febre noſtrâ relictus, multo magis CLYSTERES hic injicere licitum erit. Tutiores namq; hi (ex lenibus, emollientibus, minusq; acribus compoſiti) illis eſſe ſolent.

℞ *Rad. altheæ, lib. alb.* à ℥ß *herb. malv. bismalv. parietar. mercurial. fl. chamæmel. melilot.* à *m.* ß ſem. *fænugræc. lini* à ʒj Coqv. *in ſ. q ſeri lact. capr.* In Colat. ℥ix diſſolv. *mell. roſ. ſol.* ℥j *Elect. diacathol. de hier. cum agar.* à ℥ß *ol. rutac. aneth.* à ʒvj M. F. Clyſter.

§. 4. VOMITORIA non niſi ſummâ urgente neceſſitate & eô ſolum caſu hic præſcribenda, ubi vitium & humores putridi circa ventriculum hærent, & tunc ex minus ſuſpectis & benignioribus emeticis parata, primis ſtatim morbi diebus ægris præbenda. Alias, qvantum poſſibile ab iis abſtinendū cavendumqve; vires enim, qvas expoſcunt herculeas, valde imminuunt, & ſangvinem corruptum interiora atq; ventriculum verſus movent.

§. 5. Verum ex his evacuantibus exigua febris noſtræ curationis ſpes pendet, parum enim imò nihil de malignitate educunt, & plerumqve eô tantum fine adhibentur, ut vel cauſæ remotiores (nim. humores putridi) tollantur, vel felicius propinentur & operentur Alexipharmaca. Ad alia proinde confugiendum & alia huic morbo qværenda remedia, qvibus eſſentiam ejusdem deſtruere poſſimus, id qvod ſecundum duplicem indicationem præſtant partim ALEXIPHARMACA, partim REFRIGERANTIA, & ſuo etiam modo SUDORIFERA.

§. 6. ALEXIPHARMACA (præcipua in hoſte noſtrô debellandô arma adeoq; & primô locô recenſenda) ea potiſſimum ſeligamus atq; hic adducamus, qvæ non niſi longâ ac fidâ experientia antea comprobata ſunt, & multorum ſæpe votis reſponderunt. Qvæ verò dubii, incerti & nondum ſatis probati ſunt effectûs, mittamus. Unde qvorundam Chymicorum, recentiorum præſertim glorioſorum, medicamenta qvamplurima (plurima dico, non omnia, habent namq; & hi non pauca eaq; egregia medica-

dicamina) ſilentio hic erunt involvenda; ſunt enim, ut magni cujusdam Viri verbis utar, largiſſimæ utplurimum promiſſionis, effectûs verò aliqvando exigui, aliqvando nullius.

§. 7. Numerantur inter ejusmodi efficaciora Alexipharmaca ab Autoribus Practicis ſimpliciora hæc: Radix *Angelicæ, Biſtortæ, Carlinæ, Contrayervæ, Fraxinell., Galang., Gentian., Helen., Pentaphyll., Petaſ., Scorzon., Succiſ., Valer., Vincetox., Zedoar.*, Herba *Abſinth.*, *Dictam. Cret.*, *Rut.*, *Scord.* Flores *Calendulæ*, Baccæ, *Junip. Lauri*, Semen. *Angelicæ, Carduiben. Card. Mar.*; Gummi *Camphora, Myrrha*, Ex Mineralibꝰ *Unicornu foſſile*, Lapis *Hyacinth. Sapphirus, Smaragd* Ex Marinis. *Margaritæ, Succinũ.* In regno Animali *Os de Corde Cervi, Unicornu verum, &c.* Acetum *Rubi Idæi, Rutac., Scord., Zedoar.* Sal *C. C. vol. viper. vol. Abſinth., Angel., Carduiben., Fraxin., Rut., Valer. Zedoar.* Spiritus *CC. Sal. armon. Salis comm., Sulphur., Vitriol.* &c.

§. 8. Et Compoſita iſta: Acetum *bezoardicum, theriacale Timæi.* Aqva *nucum Cratonis, Peſtilentialis Hartmanni, Rulandi, Mathioli, Stapedii, theriacalis Andernaci, Crollii*, Electuarium *Camphoratum Kegleri, Nucum, de Ovô ſ. Crocô, Theriaca Andromachi, Sennerti, diateſſeron. Mithridatium, Antidotum Mathioli.* Elixir *peſtilentiale Crollii, proprietatis Paracelſi*, Miſtura *ſimplex*, Pulvis *Baniſterii, bezoarticus Sennerti Cæſaris Gryſeus, Florentinorum, Montagnana contra Peſtem, Saxonicus, Viennenſium.* qvibus & addi poteſt illud Chymicorum *Antimonium diaphoreticum* & *bezoardicum minerale* I. & c. ☉ aliaqve.

§. 9. Qvoniam tamen ſæpe fieri ſolet, ut Medicamenta, qvæ in Peſte aliisq; morbis malignis laudanda imo miranda præſtiterunt, in Febre Petechiali optatum effectum non ſortiantur, ob diverſam malignitatis (qvæ alia in noſtrô, alia in aliis morbis malignis) naturam, ideo tutisſimum ſemper eſt ea præſcribere Alexipharmaca, de qvorum effectu laudabili certi ſumus, & qvæ huic noſtræ malignitati in ſpecie reſiſtunt atq; è diametro opponuntur. Qvare præter generalia illa modo enumerata Alexiteria nunc ea etiam bonâ fide referam, qvæ ſpecialiter in Febre Petechiali qvotidiano uſu experta & à Practicis celebrioribus commendata atq; dilaudata reperiuntur.

§. 10. Sunt ex illorum genere ſimplicia potisſimum ſeqventia

Radix *Anthoræ*, *Tormentillæ*, Herbæ *Carduusbenedictus*, *Galega* Flores *Sambuci*, Semen *Citri*, *Napi*, *Carduibenedicti*, Terra *ſigillata*, *Bolus Armena*, Lapis *bezoar*, *Corallia rubra*, *Cornu Cervi*, *Unicornu Groenlandicum*, Acetum *fl. tunic.* Aqva *Carduiben.*, *Galegæ*, *fl. ſambuci*, Eſſentia *Carduiben.* Conſerva *fl. tunic.* &c.

§. 11. Compoſita verò hæc: Decoctum *Cornu Cervini Sim. Pauli*, *Timæi* von Güldenklee Emulſio *Cratonis è ſem. citri*, *napi*, &c. Tinctura *Coralliorum rubrorum*, Electuarium *Diaſcordium Fracaſtorii*, Species *de hyacintho*, *liberantis*, Pulvis *Pannonicus*, *Cæſaris rubeus* &c,

§. 12. Formulæ ex his ad cujusvis Ægrotantis palatum facilè parari poſſunt e. g.

℞ *Sem. citri*, *napi*, *carduiben.* à ʒij *aquileg. acetoſ.* à ʒj ▽ *Galeg.*, *carduiben.*, *ſcorzon.*, *acetoſell.* à ℥ij F. l. a. Emulſio adde *pulv. bezoart. D. Senn.* ℈ij *rot. man. Chriſti perlat.* ʒij M. S. Außtreibende Milch auf ij mahl/ wohl umb zurütteln.

Emulſio hæc Cratonem Autorem agnoſcit, unde qvoqve Cratoniana audit, & egregiè à celeberrimis Practicis, *Senerto* (a) nempe, *Cratone* (b), *Horſtio* (c), *Timæo* (d), aliisq; commendatur, qvod viſum eſt, nihil æq; in curandâ Febri Petechiali intentioni horum ſatisfeciſſe, ac hæc ipſa Emulſio.

(a) *lib. 4. de Febr. C. 13. p. 541.*
(b) *Conſil. CCLXXX. p. 816. & in libell. de Peſtil febr. Cun.*
(c) *de Febb. Obſ. 27. p. 47*
(d) *Med. pract. l. 8. Caſ. 24. p. 374.*

℞ *Diaſcord. Fracaſt.* ʒij *pulv. Pannon.*, *ſpec. liberant.* à ℈ß ▽ *fl. ſambuc. carduiben.* à ℥j *ſir. acetoſ. citri* ℥ß M. F. Potio S. Tränckleín auf j mahl.

℞ *Tinct. bezoart. D. Mich.* ʒj *ſpiritus bezoart. D. Buſſ.* ʒß M. S. Außtreibende Mixtur 30 biß 40 Tropffen auf j mahl.

℞ *Acet. fl. tunic.* ℥j *bezoart. rub. Idæi* à ℥ß M. S. Gifft-Eſſig j Löffel voll auf j mahl.

℞ *Pulv. Pannon. bezoart. D. Senn.* à ʒß *Spec de hyacinth.* ℈j M. F. Pulvis ſubtil. S. vermiſcht Bezoarpulver auf ij mahl.

℞ *Sem. napi*, *carduiben.*, *citr.*, *naſturt.*, à ℈ß *Bol. Armen.* *Terræ ſigillat. Strignic.* à ʒß *C. C. phil. præparat.* ℈j M. F. Pulvis *cujus doſis* ʒß Sign. Außtreibend Pulver auf etl. mahl.

§. 13. Qvod ſi Æger nauſeans pulveres has, ut non rarò contingere ſolet, deglutire recuſet, in aliam medicamenti ſpeciem transmutari poterunt, & vel Boli formâ cum Rob ſambuci, con-

conſerva fl. tunicæ &c. vel in potu dari, affuſâ iisdem ▽ſtill. fl. ſambuc. calend. ſcordii, Scorzon. Hiſp. Carduiben., qvam ſicut & plurima alia è Carduobenedicto parata Medicamenta S. Pauli (e) omnibus aliis remediis in Febre Petechiali anteponit, aut deniq; in aqva ſtill. Galegæ.

§. 14. Notari de hâc herbâ, Galegâ ſcil. ſeorſim meretur illam ſ. ſub pulveris, ſ. ▽æ, ſ. ſucci, ſ. decocti, ſ. aliâ qvâcunqve forma Petechiali Febre decumbentibus propinetur, egregie ſemper ad expellendas maculas & exſtirpandum hunc morbum prodeſſe, adeo, ut ſint, qvi efficacius ad depellendam pulicarem febrem pharmacum Galegâ non dari ſtatuant. Et videtur nomen inde à Germanis accepiſſe ut vocetur das Fleck-Kraut / ceu refert *B. Banzerus* (f) nec non *Tabernæmontanus* (g), qvi hâc herbâ & Carduoben. qvamplurimos Febre Petechiali correptos ſanitati reſtituit, & novum propterea huic herbæ nomen, *petticbiariæ* np. l. *peſticbiariæ* imponit. Evolvi hi Autores (h), prolixius laudes ejus recenſentes, poſſunt.

§. 15. Poſt Alexipharmacâ maxima ſalutis ſpes poſita eſt in SUDORIFERIS, qvibus proin meritò ſecundus inter febris noſtræ curandæ remedia locus debetur. Malignam enim qvalitatem non ſolum à Corde, ſed & penitùs è Corpore ſudore mediante pellunt.

§. 16. Hæc autem ſpeciatim omnia atqve nominatim hic recenſere & prolixum nimis & ſupervacaneum duco, partim qvod jam ſuperiùs inter Alexipharmaca (plurima enim ſi non omnia bezoardica ſimul ſunt ſudorifera) tradita fuere, partim etiam qvod infinita ex aureo illo *Excell. Dn. D. WEDELII Jenenſium Profeſſoris celeberrimi, Præceptoris atq; Patroni mei plurimùm colendi*, de Medicamentorum Facultatibus (i) Tractatu ceu ex Cornu Copiæ haurire licet. Formulas etiam congerere fortasſis ſuperſedere poſſemus, cum illæ, qvas modò in Alexipharmacorum Catalogo ſuppeditavimus, ad ſudorem provocandum ſufficere poſſent; qvoniam tamen medicamenta, ne uni ſoli inhæreamus & natura adſveſcat, variare utile eſt, alias qvasdam hic apponere lubet.

(e) *Qvadrip. Botan. Cl. 3. p. 239.*

(f) *Armam. Med. Pharmac. M. SS lib. 2. p. 1. ſect. 1. Cl. 4. cap. 51.*

(g) *lib. 1.* von Kräutern *ſect. 4. c. 35. p. 392. & ſeqq.*

(h) *loc. cit.*

(i) *lib. 2 ſect. 2. cap. 3. p. 170.*

§. 17.

§. 17. ℞ *Diaſcord. Frac.* ʒij *Pulv. Cæſaris rubei. ſpec. de hyacinth.* à ℈ß *lap. bezoar.* gr. j ▽ *Galeg. Carduiben.* à ℥j *ſir de cort. citr.* ʒij M. F. Potio S. Schweißtränckleìn auf j mahl.

℞ *Spirit. theriacal. camph.* ʒß *ſpiritûs C.C. Eboris* ℈ij M. S. Schweißtreibende Mixtur 40 biß 50 Tropffen auf j mahl.

℞ *Diaſcord. Frac* ʒß *Theriac. D. Sen.* ℈j *ſpec. de hyacinth. liberant. de Gemm. frig. raſ. Unicorn. Grœnland.* à ℈ß M. F. Electuarium S. Schwitz-Lattwerge auf ij mahl.

§. 18. Nec pudet ſæpiùs præſcribere & toties repetere *Diaſcordium Fracaſtorii*, de qvo *Oct. Roboretus* (k) ſcribit, ſummopere ſemper in hoc morbo profuiſſe. Eſt enim medicamentũ verè Regium, temperatum, maximæ energiæ, tutum, omni ætati, ſexui, &c. conveniens, unô verbô, ultra omnem laudationis aleam poſitum. Et memini infinitos ferè non pulicari ſolum, ſed aliis etiam morbis malignis afflictos hôc medicamento de mortis faucibus ereptos.

(k) *de pet. febr. c. 16. p. 325.*

℞ ⊖ *vol. C.C.* gr. Xij, *viper. vol.* gr. iiij *Unicorn. Grœnland.* ℈ij M. F. Pulvis S. Schweiß-Pülverlein auf ij mahl.

℞ ⊖ *Carduiben.* ℈ß ⊖ *Abſinth. centaur. min.* à gr. iiij ⊖ *fraxini* gr. vj *C. C. phil. præp.* ʒß M. F. Pulvis S. Außtreibendes Pülverlein auf ij mahl.

§. 19. Inter ſudandum & finitô ſudore, imo totô morbi decurſu Æger CORDIALIBUS & CONFORTANTIBUS reficiendus. Virium enim, ne penitus deficiant, hic maxima habenda ratio, cum potiſſima Cordis arma ſint, qvibus & reſiſtit malignitati, & hanc è corpore expellit. Hinc ſeqventia medicamenta Ægris offerri poterunt.

℞ ▽ *fl. borrag.* ℥iß *bugloſs. lil. convall. ſ. V. Ceraſ. nigr. Cord. H. S. C.C. nov. ſ. V. acetoſ. acetoſell.* à ℥j *roſar. opt. cinam. c. V.* à ℥ß *ſir. fl. tunic. acetoſ. citr. rub. Idæi, granat.* à ℥ß *Conf. Alkerm. compl.* ʒj M. S. Stärckwaſſer.

℞ *Amygd. d. mund.* ℥ß *pinear. non rancid* ʒij *ſem. 4. frig. maj.* à ʒj Aqvas in præced. formulâ præſcriptas F. l. a. Emulſio Adde *C.C. uſt: præparat.* ℈ij *pulv. bezoart. D. Senn.* ℈j *pulv. an. lept. fr.* ʒj *rot. man. Chriſt. perlat.* ʒij M. S. Stärckmilch.

℞ *Tinct. Coralliorum rubr.* ʒj Hertzſtärckende Corallen-Tinctur 20 biß 30 Tropffen auf j mahl.

§. 20. Me-

§. 20. Memoratu digna ſunt, qvæ de egregriis Tincturæ Coralliorum viribus in Febre Petechiali *Anshelmus Boëtius* (l) habet. Refert enim, ſe, cum ex febre peſtilenti (petechiali) graviter decumberet, animiqve deliqvia ſingulis propemodum momentis pateretur, & qvatuor dies noctesqve inſomnes traduxiſſet, ita ut omnes adſtantes de ſalute ſuâ deſperarent, unius iſtius tincturæ beneficio & à morbo & à morte extemplo & miraculosè qſ. fuiſſe liberatum. Qvamprimum namqve illam, qvantitate exiguâ adſumpſiſſet, illico ſpiritus reſtaurari, maculas prorumpere, ſudorem prodire & morbum diſcedere manifeſtò ſenſit atqve obſervavit.

(l) *Gem. & Lap. Hiſt. l. 2. cap. 154. pag. 155.*

℞ ▽ *Acetoſell. borrag.* à ℥j *ſucc. ribium, berber; rub. idæi* à ℥ß *ſir. corall. fl. tunicis* à ʒij M. Detur ad Fictil. S. Stärck-Safft j Löffel voll auf j mahl.

℞ *Corall. rubr. præp. Oſſ. de Corde Cervi* á ℈ij *margarit præp.* ℈j *lap. bezoar. Or.* gr iiij M. S. Köſtliches Hertzpülverlein auf ij mahl.

§. 21. REFRIGERANTIA eqvidem in hôc morbô præſcribere qvandoqve (niſi forſan ſitis reſtingvendi gratia) minus cogimur, cum expulſa malignitate ſponte plerumqve ceſſet calor; aliqvando tamen calor non leve, & majus fere qvam malignitas minatur periculum, ubi tunc omnino refrigerantia propinanda ſunt, qvalia ſunt hæc:

℞ *Sem. 4. frig. maj.* à ʒij *amygd. dulc. ambroſ.* ℥ß, *ſem. papav. alb.* ʒj *Aqv. acetoſ. acetoſell. endiviæ, nymphea. fragorum ſ. V.* à ℥ij F. l. a Emulſio. Adde *ſpec. diamarg. frig. præp.* ʒj *man. Chriſti perlat.* ʒiij M. S. Milch gegen die Hitze nach belieben.

℞ *Spiritûs* ⊖*li, theriacal.* à ʒj *ſir. violar.* ʒij M. S. Kühl-Tinctur 30 biß 40 Tropffen auf j mahl.

℞ *Decoct. C.C. c. rad. Scorzon.* ℔iß ▽ *roſ. opt.* ℥j *cinam. c. V* ℥ß *ſir. acetoſ. citr. de rub. Idæo, berber.* à ℥j *Spiritûs* ⊖*li q. ſ. ad grat. acid.* M. Detur ad Vitrum. S. Kühl-Julep.

℞ *Gelatin C. C., eboris cum ſucc. berber. recenter parat.* à ℥j M. S. Kühlende Galred

℞ *Spec. diamarg. frig.* ʒß *de gemm. frig., de hyacinth.* à ℈j ⊖*lis prunellæ* ℈ß M. S. Kühlpulver auf ij mahl.

§. 22. Exter. non ſine commodo ea adhibere licet medicamenta, qvæ venenum à Corde avocant, inter qvæ imprimis laudatur Ol. ſcorp. Matth. & Ol. Magni Ducis Hetruriæ, addito Iis temperandi caloris cauſa ungvent. roſac. Perungi hoc Ungvento poſſunt regio cordis, tempora & pulſus.

§. 23. Utiliſſimum etiam eſt hic, præſertim ſi maculæ ſegnius erumpere vel recedere, auctâ cordis anguſtia, videntur, brachiis, pedibus, dorſo, imo toti corpori panno coccinô affricare Ungventum Aetii, de qvo *Crato* (m) teſtatur, illud miro ſemper ſucceſſu in Italia eſſe adhibitum, & *B. Sennertus* (n) ex *Proſpero Alpino* (o) refert, maximô emolumentô non in Petechiali ſolum, ſed omnibus etiam febb. malignis apud Ægyptios ungventum hoc applicatum eſſe. Conſtat autem illud ex ⊕tri & Ol. Chamæm. pro qvo alii Ol. amygd. dulc. vel amar., alii Ol. ſcorpion. ſubſtituunt.

(m) l. 1 Epiſt. f. 221.
(n) *lib. 4. de Febr. c. 11. p. 504.*
(o) *lib. 4. de Med. Ægypt. cap. 15.*

℞ *Ol. amygd. dulc., chamæm. ſcorpion.* à ℥j ▽ *font.* ℥iij ⊕*tri* ʒvj Coqv. ad conſumpt. ▽æ S. Euſſerlich Sälblein.

§. 24. Nonnulli, ut *Brunnerus* (p) *aliiq;*, textura ſerica rubea vel panno coccinô Ægrum tegere & in volvere jubent; verum hoc exiguum admodum præſidium & auxilium adverſus hunc morbum.

(p) *Conſil. XLIII. de Febr Lent. p. 248.*

§. 25. Qvod ad ſymptomatum hujus febris curationem attinet, eam hic tradere non opus duco. Cum enim ſymptomata, qvæ in noſtra febre occurrunt, cum illis, qvæ in aliis febb. malignis ſe produnt, ſint communia, etiam curatio eorundem eſt eadem. Si qvis tamen hanc à nobis deſideret, eum ad *B. Sennertum* (q) ablegamus, qvem ceu feliciſſimum, atqve celeberrimum Practicum ex aſſe ſeqvimur.

(q) *lib. 4. de Febb. c. 13. p. 542. & c. 18. p. 570.*

## *CAPUT XII. ET ULTIMUM*

## ANNECTENS DIÆTAM.

§. 1.

PRoperandum deniq; ad tertium etiam remediorum fontem, DIÆTAM, qvæ in legitimo ſex rerum non naturalium uſu conſiſtit.

§. 2.

§. 2. Itaq; *Cibi* modicè refrigerent & humectent, ſint εὐπεπτοι, ut ova ſorbilia, carnes vitulinæ, agninæ, it: perdices, columbæ, gallinæ, capones, juſcula avenacea, brodia decoctionis gallinæ diplomate facta &c. Condiri illi poſſunt citris nec non ſucco eorundem, ut & limonum, Ribium, berberum aliisqve. Aromatica vero, præſertim ſi calor ſit intenſus, dulcia, fructus horarii & omnia, qvæ minus bonæ ſunt notæ, vitentur. Alvum recludendi fine pruna ſiccata rurſusqve cocta nec non paſſulas &c. præbere licet.

§. 3. Potus ſit Cereviſia tenuis & probè defæcata. Vinum ὀλιγοφόρον obſervatis iis, qvæ de morbi natura & Ægri temperie *Laz. Riverius* (a) habet, concedi poteſt, certum enim eſt, illud cardiacum & alexipharmacum eſſe inſigne. Et proſtant exempla apud *Bartholinum*(b), ubi Febre Petechiali decumbentes, etiam pro deploratis ab aliis habiti, ſolo vini hauſtu curati fuere. Qvo minor tamen ab hoc metuenda noxa alterari illud (ſicut & cereviſia) poteſt TRaſl. aqvileg. viol. cordial. Gelatinâ rec. CC. dulci vel acida, Spiritu ⊕li aliisqve. Nihil utiliùs verò, nihil præſtantiùs in hoc morbo Decoctô C. C. potûs locô hauſtô; hoc enim ſitis vehementiam compeſcere, calorem febrilem attemperare malignitatemqve expugnare, annotarunt *B. Sennertus*(c), *S. Pauli*(d), & *Timæus*(e), qvorum decocta propinari poſſunt. Qvod ſi tamen nec hæc Ægri palato arrideant, licebit Decoctum Hordei c. rad. Scorzon. l. Julepum convenientem præſcribere.

(a) *Meth. Cur. Febr. ſect. 3. c. 1. p. 121.*
(b) *Cent. 6. Obſ. 7. p. 205 & 206.*
(c) *Lib. 4. de Febr. c. 13. p. 541.*
(d) *de Febr. Malign.*
(e) *Lib. 8. Caſ. 24. p. 376.*

§. 4. *Aër*, cum nimis calidus moleſtus admodum ſit viresqve dejiciat, frigidus vero poros occludat, Petechias & fermentum jugiter corrumpens ſangvinem ad cutem à natura detruſum interiora verſus repellat, ſit temperatus, hoc eſt, nec calidus nimis, nec frigidus nimis, magis tamen ad caliditatem, ob metum repulſionis Petechiarum, vergens. It: ſerenus, clarus, purus &c., & ſi qvid vitii continet, ita ut vel humidus nimis, putridus &c. ſit, accenſo igne, odoriferis, agitatione, aliisqve facillime corrigetur.

§. 5. *Vigi-*

§. 5. *Vigiliæ*, qvia ſpiritus abſumere & depauperare ſolent, ſunt noxiæ & vitandæ. *Somnus* ante aſſumtum bezoardicum qvoad ejus fieri poterit, interdicendus prohibendusqve, requieſcentibus enim ſpiritibus malignitas libere ad Cor repit, illô verò deglutito, tutè atqve maximô & ſpirituum & Ægri commodo capitur. *Motus* nullum hic præſtat emolumentum adeoqv exulet. *Qvieti* ſtudeat ne ſpiritibus ſatis jam laſſatis & afflictis ulteriorem addat afflictionem eosqve diſſipet.

§. 6. In *excretis* & *retentis* juſtus qvoqve tenendus modus. *Pori* aperti ſervandi ut corpus ſit *εὔρροον* & perſpirabile. Alvus intempeſtivè non aperiatur; qvod ſi tamen ejusdem conſtipatio vel longe morbum præceſſerit, vel nimia ſit, ut morbi auctio vel majus qvoddam malum inde metuendum, non inconveniens erit, eandem aliqvo leniente vel clyſtere emolliente reſerare.

§. 7. Tandem liberum ſolutumqve Æger habeat animum à perturbationibus & affectibus, præſertim iis, qvi ſangvini vim inferre poſſunt, ut *ira*, illumqve & conſeqventer malignitatem ad Cor remeare cogunt, ex qvorum numero ſunt *terror*, *timor*, *triſtitia*, *moeror* præſentisqve calamitatis recordatio. Hilari potius ſit animo (lætitia n., ſi moderata, ſpiritus & Cor recreare ſolet) & certisſimâ nitatur ſpe, fore ut brevi priſtinæ reſtituatur valetudini, qvam qvoqve prudens Medicus augere conabitur, cum experientia cognitum ſit, hanc aliqvoties ad recuperandam ſanitatem non parum feciſſe.